

POMPEII VGONII

In Funere

AMPLISSIMI CARDINALIS


ANTONII MARIAE SALVIATI.

ORATIO.

AD SACRVM SENATVM.

Habita Romæ in Templo S. Iacobi in Auguſta ab eodem Cardinale condito, xi. Kal. Februarij Anno MDCIII.

Item Poemata varia die funeris Templi parietibus affixa, & Funebris pompæ Vulgari ſermone deſcriptio.



ROMAE,
Apud Aloyſium Zannettum. MDCIII.
SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMO VIRO
LAVRENTIO SALVIATO
MARCHIONI IVLIANI, &c.

POMPEIVS VGONIVS. S.

IN ſtemmate familiæ tuæ, Laurenti Saluiate, cuius clariſsima omni tempore lumina extiterunt, futurum profecto eſt, vt inſigni ad poſteros ſplendore Antonius Maria Cardinalis eluceat. Hauſtam enim à maioribus animi nobilitatem, ijs factis comprobauit, quibus nihil poteſt eſſe nobilius. Quorum memoriã, quòd victrix mortis cum perenni gloria coniuncta eſt, multò te magis pro tua ſapientia, in cenſu hereditatis numerare arbitror, quàm fluxas opes atque diuitias, quæ tibi iure ſanguinis contigerunt. Etſi autem illa firmis maximarum virtutum nixa radicibus, neque vnà cũ corpore extincta, ſua vi viget, vigebitq; ſemper, dubium tamen non eſt, quin magna omnis, & nobilis virtus litterarum beneficio floreſcat, & ab obliuione temporum ſcriptis, per quæ, (vt ille inquit) Spiritus & vita redit bonis, felicius vindicetur. Quare quòd is vir, Ampliſsimus patruus tuus fuit, quem ætas noſtra generoſæ antiquitatis æmulum meritò eſt admirata, iuuat credere nequaquam illi exculta ingenia defutura, quibus curæ ſit, more veteribus vſitato, res quas geſsit memoratu dignas, ſequẽtibus ſeculis tradere. Interim funebris oratio acta à me die illo, quo tu die ſacro Senatu Populoq. Romano præſente, apparatiſsimum ei exequiarum munus edidiſti,

breuem quandam in illius laudes excurſionem per ora gentium feret, in qua etſi non ſingula momenta officiorum, in quibus præſtantiſsimus Cardinalis excelluit notari poterunt, capita tamen illuſtrium actionum, virtutumque eius aliquatenus ſpectabuntur. Vtinam facta dictis exæquare potuiſſem. Sed hoc cum difficile in primis à doctis exiſtimatur, tum eò mihi difficilius, quò minus ingenio aut eloquentia valeo, difficillimum autem in tali præſertim argumento, in quo tractando, vel homines diſertiſsimi ſuccubuiſſent. Equidem pro vetere meo in Heroa illum ſtudio, multis eius erga me beneuolentiæ indicijs cum viueret excitato, proque ea obſeruantia quam tibi, eidem vt ſanguine ita virtute proximo me debere profiteor, id efficere conatus ſum, ne optima præſtandi, voluntas mihi defuiſſe videretur. Hoc ſi minus conſecutus ſum, quod facile intelligo, peto à te, vt ab eiuſmodi voluntate profectum opus, quod tuo iure exigere potuiſti, libenter accipias, ceteraſq; lucubrationes, quæ eidem adiunctæ in lucem exeunt, quæq; omnes ad Ampliſsimi viri gloriam pertinent, pari beneuolentia complectare. Nam templa quidem, Regiaſque ab eo moles ædificatas, aut æui tandem longinquitas diruet, aut vna] dumtaxat Roma intuebitur; hæc quæ literis conſignata ſunt monumenta, tanti nominis auctoritate fulta, & diutius manebunt, & non vnius loci regionibus definita, orbem terrarum longe lateq; peragrabunt. Vale. Dat. Romæ Idib. Maij. Ann. M D C I I I.

POMPEII VGONII
In Funere
ANTONII MARIAE
CARD. SALVIATI.
ORATIO.
Ad Sacrum Senatum.

CVM legitimũ ſolenne funeris,Antonij Mariæ
Saluiati Collegę veſtri honori memoriæque,
ob innumerabiles eius clariſsimaſque virtu-
tes iure debitum,differri diutius viderem;ſpe-
rabam fore,Patres Ampliſsimi,vt quò longius
ab eius viri morte,cui ætas omnis, paucos ad-
modũ pares tulit,hoc munus exequiarum ab-
eſſet,eo magis ſedato trãquillòq.animo,& mihi ad eius laudes mo
re inſtitutòq. maiorũ dicendas,& vobis ad audiendũ liceret acce-
dere.Ita enim natura cõparatum eſt,vt quãuis magnus iuſtuſq. do
lor ſit ex aliqua calamitate ſuſceptus,principio quidem acrioribus
ſtimulis,& recenti memoria pectus effodiat, interuallo autem tem
poris ſenſim vires amittat, & die ipſo qui cogitationem ex vna re
in aliam transferre ſolet deferueſcens mitigetur tandem,ac peni-
tus extinguatur. Nunc verò, nono iam menſe; poſt grauem illum
acerbumq. caſum, quo tam illuſtre ſacroſancti huius Collegij, &
Chriſtiani orbis lumen amiſimus, nec dum quæ initio ſeſe com-
mouerat lamentatio conticuit ac gemitus ciuitatis; & cum ſingu-
lari hodie,Clariſſimi Viri Laurentij Saluiati pietate, celeberrimũ
funus agatur,eiuſmodi jn veſtris frontibus,atque oculis,facies tri-
ſtiſſimi luctus ac mœroris apparet, vt non triſtior repræſentari po-
tuiſſe videatur,ſi coram hic,in medio ſacrę huius coronæ,cadauer
ipſum exanime, & horribili pallore mortis coopertum iaceret.Ma

gnum

gnum profecto argumentum eximiæ virtutis præſtantiſſimi Cardi nalis,quę non excidere męntibus tamdiu ſublata ex oculis potuit, nec ſepulchri tenebris obruto corpore obliuione inobſcurari, ſed infixis penitus in animos noſtros tam grauis iacturæ aculeis, maius in dies deſiderium ſui parturit, & veluti crudeſcente vulnere, vehementiorem efficit,acerbioremq. dolorē. Quòd ſi huius ipſius doloris ſenſum, quem longinquitas temporis nequiuit minuere, ſaltem non hodierno die locus huius funebris pompæ augeret etiā magis atque inflammaret, faciliorem certe curſum ſperarem orationi meę,quam hęc Amphitheatralis templi moles, intra quā incluſa vox volutatur ac reſonat, ita debilitat atque coarctat, vt foras egredi,& reſpirare non ſinat, nec ab obiectis eiuſmodi ſimulachris auocari,quę duriſſimum quodq. pectus frangere,& ad iuſtiſſimas lachrymas poſſint inflectere. Verſamur enim intra hæc Saluiatæ religionis inſignia monumenta,nominiſq. Illuſtriſsimi, tituli,ſigna,imagines,vndiq. incurrunt oculis,quibus cum propter mirandam ſpeciem, Regiamq. magnificentiam æternitatem quandā deberi non dubitemus,ingemiſcere altius cogimur, eum qui tanta opera immortalitate digna fecerit, ipſum fuiſſe mortalem. Quid igitur agam? quò me vertam? quò cogitationes veſtras P.A.tranſferam,vt aberrare tantiſper animi ab ęgritudine poſſint,dum in nobiliſſimi Cardinalis,magno Chriſtianæ Reipub. detrimento extincti,excellentium laudum cōmemoratione,ad breue temporis ſpatium conquieſcamus? Cælo nobis,cælo Saluiate ſpectandus eſſes, vt ex illa beata ſede,ad quam virtutum tuarum gradibus aſcendiſti,ſolatiū ad nos aliquod in hac conualle lachrymarū relictos demitteres;ſed demerſa corpore mens noſtra,quo nam modo ad ea eniti poteſt aut attolli,quæ ſupra naturæ ordinē conſtituta,aciem omnē & vim humani ſenſus effugiunt? Cū præſertim cogitantibus nobis, quàm procul à Cęlo terra diſiuncta ſit, & quàm vaſtū inter nos iam & te intercedat chaos,magis magiſq. caligine mæroris offundi animum neceſſe ſit,nec extorqueri poſſit affectui, vt etiamſi tua felicitate lætetur, non orbitatem publicam & damnum terrarum doleat;à quibus vna tecum pietas ablata eſt,& ſapiētia, & integritas,& virtus omnis Cardinale digna;ob quæ Populus Romanus perfugium ſuum, Senatus hic ampliſſimus ornamentum ſuū, ſummus Antiſtes conſiliariū vnū de mille deſiderat, totus deniq.

Chri-

Chriſtianus orbis ſpe ſua & expectatione fruſtratus, rerum humanarum viciſsitudinem atq; inconſtantiam, & tam importunæ mortis iniuriam cogitur acerbius deplorare. Erit igitur omnino lachrymis miſta oratio, quod & ſapientis Regis vox illa non abnuit, *Super mortuum plora, defecit enim lux eius*, & eò lachrymoſior erit, quia non ſolum defecit lux eius, ſed multò quidem verius defecit lux noſtra; Saluiatus enim potius in lucem translatus eſt, ſed abſcedentis inſtar ſolis noctem nobis, tenebraſq. reliquit; Erit oratio minime prolixitate moleſta, cum quantum materiæ ad dicendum ſanctiſsima vita ſuppeditat, tātum ex acerbiſsima morte iniuſtus dolor virium adimat, & facultatis; Erit deniq. oratio ſine turba & ſtrepitu, vt quidem confido & fauentibus linguis accepta, propterea quòd qui me dolor impedit, & breuem eſſe compellit, idem vt ex præſenti omnium mæſtitia intueor, vobis mecum communis, non ſilentio vos tantùm, ſed ſtupore & admiratione defixos tenebit. Adeo ne igitur, nihil in terris tam excelſum eſt atque ſublime, quod ineuitabili lege morti non ſit ſubiectum? quæ æque nobile & ignobile caput demetit, pari numero diuitem habet & pauperem, nec imaginibus auorum abauorumq. mouetur quorum ne virtuti quidem pepercit; ſed hominum opinionem tamquam vanam deridet, magni intereſſe exiſtimantium, quibus quiſque natalibus in vitam ingrediatur, cum idem ſit exitus omnium, & æqualis conditio moriendi. At non peſsimè tandem in hoc homines opinari declarat illud, quòd vt mori neceſsitatis eſſe experimento omnes fateri cogimur, de quo firma Dei lex manet, ita ſummo loco naſci partem quandam eſſe felicitatis hominibus ab eodem Deo conceſſæ, ſapientiſsimi viri conſentiunt; cui ſanè felicitati tantum abeſt vt damni aliquid deſtinata mors afferat, vt vna ſit hæc de rebus humanis, quæ morti ſuperſtes ſit, quæ de morte triumphet. Nam quid nobilitas, niſi ſplendor maiorum virtutis, remanens, & elucens in poſteris? qualis profecto ſeu paternum, ſeu maternum ſtemma ſpectemus, ſic Cardinalem hunc circumfulſit, vt vtraq. ex parte, non paruum P. A. ordini veſtro decus attuliſſe videatur. Illis enim Saluiatis Antonius Maria genitum ſe meritò gloriatur, quorum ab hinc ſeculis pluribus illuſtre nomen, actis faſtiſq. publicis Florentiæ conſignatum legitur, ex quibus alij ſummi conſilij in vrbe nobiliſsima principes, alij ciuitatum æquiſsimo

iure

iure moderatores, alij rei militaris Præfecti fortiſsimi defenſoreſq. patriæ, alij grauiſsimi ad extera Regna Legati, alij denique clariſſima Senatus veſtri lumina extiterunt. Taceo domi memorabiles, quorum eſt copia digna familiæ gloria, nec annales Hetruriæ repetam, quæ longius ſunt remota conſectans. Vt ad nobis propiora veniam, quantum Vaticana purpura in Ioanne atque Bernardo Saluiatis ſuperiore ſeculo ſplendoris oſtenderit, in recenti hominum memoria fixum eſt; quorum duorum fratrum, primus à Leone Decimo auunculo, alter à Pio Quarto, tanto poſt tempore in Senatum adlectus, vterque ſumma virtute ornamento fuit adeptæ dignitati. Filij hi erant Iacobi Saluiati viri longe ſua tempeſtate clariſsimi, & Lucretiæ Medicis quæ Leonis Decimi ſoror; fratres Laurentij Saluiati maioris pari claritate conſpicui, qui Antonium, hunc Mariam procreauit. Ex quo apparet, maximam huic cum Leone Decimo glorioſiſsimo Pontifice neceſsitudinem ſanguinis interceſsiſſe, fuiſſeq. eius ex ſorore, vt nunc loquimur, pronepotem. Ceterum non Sereniſsimæ modo Mediceæ domui, ſed præpotentibus Galliarum Regibus, ab eadem propinquitate Antonius Maria coniunctiſsimus erat; ſiquidem huius auia Lucretia non Leonem tantum, ſed Petrum quoque Medicem fratrem habuit, qui pater Laurentij, auus Catharinæ fuit; Catharinæ, quam Chriſtianiſsimo Regi Henrico Secundo in matrimonium feliciſsimis auſpicijs traditam, fœcunda plurium Regum ſoboles honeſtauit. Catharina ergo Regina, & Antonius Maria Cardinalis, cum duorum ſint germanorum, fratris ſororiſq. nepotes, quàm arcto ſe cognationis gradu contingant, nemo non videt. Hoc decus, hic ſplendor huic viro patrij ſanguinis ab his maioribus ortus, qui qua in ciuitate nati ſunt (nati ſunt autem in belli paciſq. artibus florentiſsima,) ita ſe excellenter gerere ſtuduerunt, vt per orbem terrarum, longe latèq. lucem ſui nominis explicarint. De materna autem eiuſdem nobilitate quid dicam? Conſtantia enim, ex proſapia Comitum ſplendidiſsima femina ei mater fuit, quæ familia Romæ peruetuſta, opibus locuples, ditione potens, inſignibus viris domi militiæq. illuſtris, multorùm Cardinalium titulis decora, pluribus Pontificijs imaginibus clara, quaſi lætiſsimus palmes, ita cum Saluiata ſtirpe in hoc Romano ſolo coaluit, vt mirum non ſit, ſi fructum ex ſe pulcherrimum, præſtantem hunc

tulerit

tulerit Cardinalem. Oſtendit planè vir hic, haud temerè à ſummis philoſophis pronunciatum, bonos ex bonis naſci; atque vt lineamenta oris, procerique corporis maieſtatem, quam in eo admirabamur à maioribus credibile eſt retuliſſe, ita nobilium animorum effigiem in ſe diuinitus propagatam, non modò quaſi traditam, atque ingenitam adumbrauit; ſed veſtigijs eorum perſequendis, ſtudioq. & imitatione domeſticæ laudis feliciſsimè expreſsit, & adornauit. Acceſsit enim ad vim, proprietatemq. natiui ſeminis præclaræ educationis cultura, quæ iam inde à teneris eiuſmodi vel ingenio, vel moribus Antonij Mariæ adfuit, vt cum illud accurata multiplexque literatura, præcipue autem iuris prudentia erudierit, hos adeo recta viuendi norma conformarit, vt ne latum quidem vnguem ab officio, & ab honeſto eius adoleſcentia declinarit. Itaque, non huic, vt de quodam ſuorum fortiſsimo Ethnici tradunt, in biuio hærendum, hoc eſt in illo flexu ætatis deliberandum fuit, Voluptatem ne an Virtutem ſequeretur; ſed illam in præcipitia inſidioſè trahentem, non arcens modo à ſe, ſed ne reſpiciens quidem; hanc recti honeſtiq. ducem forti complexus dextera, pleno & nihil titubante gradu, ardua ad gloriam via ingreſſus eſt. Togam ſumpſit, etſi ob amplitudinem fortunarum, in ocio viuere molliter & magnificè licebat: vt Rempublicam adeundo, quod generoſæ indolis eſt, labore illi induſtriaq. ſua prodeſſe poſſet; vixq. togatus proceſsit, cũ ſubito totius Curiæ in ſe ſe oculos conuertit, incredibiliſq. de eo expectatio eſt excitata, quam, ipſe (quod raro contingere ſolet) factis quàm fama maior celeriter ſuperauit. Ac primum quidem, is qui tunc temporis Petri ſolium tenebat, Pius Pontifex Quartus, hominem ad omnia ſumma natum ſagaci mente agnoſcens, ne lux tanta ingenij atque virtutis in obſcuro lateret, in ſublime extulit, Sanctiq. Papuli, quo nomine Ciuitas trans Alpes eſt in Aquitania, à Rege quidem propinquo expetitum, ſed multo magis eius meritis poſtulantibus, Epiſcopum renunciauit. Quanta tum hic moderatione delatum honorem remittere paratus erat, niſi ſummæ poteſtati non parendo, ſcelere ſe obſtringi arbitraretur? Quàm erecto autem excelſoq. animo, ad onus pro dignitate ſuſtinendum ſe comparabat? Quantum ſapientiæ lumen, terris illis magna errorum caligine circumfuſis illaturus erat? Quale ſpecimen futurus probitatis, & ſanctimoniæ? Verumtamen illum

ne ad commiſſas ſibi oues accederet, Paſtorum conuentus qui Tridenti, Chriſtianæ rei conſtituendæ cauſa, frequentiſsimus eodem tempore habebatur detinuit, minimè officij ſui exiſtimantem, communem in re tanta conſenſum deſerere Principum Religionis. Quò cum ceteris omiſsis omnibus accurriſſet, ſic in Concilio multorum ſeculorum grauiſsimo atque vtiliſsimo ſedit, vt conſtet ex infinito numero Patrum, quamuis à pluribus ætate & experientia vinceretur, nemini vel in orthodoxæ veritatis integritate tuenda, ardore fidei, vel in morum emendatione vrgenda, ſententiæ grauitate conceſsiſſe. Vt vero Concilium dimiſſum eſt, muneriq. in eo maximè Epiſcopali ſatisfecit, dicam quod quiſpiam mirari poſsit, nil egit prius, quàm vt ad Vrbem reuertens Epiſcopatum dimitteret. Inopem fortaſſe à cenſu comperérat, dicat quis, & tenuitate aſpernandum: Immo pleriſq; auri millibus æſtimari non ignorabat. Atqui non admodum habebat dignitatis: Immo vero, iam inde à Ioanne vigeſimo ſecundo, à quo ea Eccleſia eſt conſtituta, illius Galliæ vicinitatis, loco, auctoritate, ordine in primis numerabatur. At regio incommoda viſa eſt, & ingrata. Non poteſt dici; prouincia Aquitaniæ copijs rerum omnium, non ad neceſsitatem modo, verum etiam ad voluptatem abundat, eòque Saluiato opportunior accidiſſet, quòd fruendi facultatem dabat prope abſentium Regis, Reginæq. affinium conſuetudine, gratia, beneficijs, ſi minima animus eius ambitione flagraſſet. Quid igitur? quæ mens? quod conſilium abdicandi, tam præſertim celeriter fuit? An, quod in Romanæ Eccleſiæ faſtos, nuper ab Hiſpano homine doctiſsimo editos relatum eſt, cum ſerpere per ea loca peſtilentes hæreſes cerneret, per virum aliquem Gallicę conſuetudinis & linguæ peritum, facilius eis obſiſti poſſe iudicauit? An vero, ægre tuliſſe credendum eſt, ſe ab hac ſancta Sede, & Romanæ Curiæ luce longius abſtrahi, cui in primis operam induſtriamq. ſuam nauare cupiebat? Vtrum libet in cauſa fuerit, alterum moderati, alterum magni animi dixeris. Illud vero non poteſt non ſummopere laudari, quòd ab illius Epiſcopatus abdicatione, omnis pactionis mentio, omnis compenſationis poſtulatio, omnis ſpes præmij, omnis ſpecies auaritiæ abfuit. Liberè Pontifici reſtituit, quod vltro oblatum ſuſceperat, & cuius rei gratiam non ambiuerat, emolumentum non requiſiuit. Rari hoc exempli, & præter conſuetudinem; ſed virum antiquæ probitatis

bitatis, licentiores mores, ne dicam vitia temporum, non tangebāt. Qui cum actiones omnes ſuas non vtilitate, ſed honeſtate moderaretur, eiuſmodi in rebus ſacris permutationes, in quibus plerique ſibi liberius indulgent, homo in ſe ſeuerior, ſi minus illiberales, at certe longe ab ea perfectione virtutis, quàm propoſitam habebat alienas exiſtimabat. Igitur Epiſcopali cura ſolutum, & graui velut onere ab humeris reiecto liberum, Romæq. commorantem, Pietas ſibi illico vindicauit. Hæc ſibi in eo ſummum præſidium conſtitutum arbitrari, vni pia Vrbis loca plurima & diuerſa committere; religioſis Ordinibus, domicilijs Virginum, Sodalitatibus, Valetudinarijs, miſeræ orbitatis Aſylis, Templis, Collegijs Præſidem Patronumque depoſcere; ex quo tempore huius ipſius Aedis in qua verſamur, proximæque domus Hoſpitalis patrocinium ſuſcipiens, è nihilo propemodum, opera quæ in tantam amplitudinem exaggerata cernimus inchoauit. Sed in his, quanta cum animi magnitudine, tum charitate ſe ſe geſſerit, paulo poſt commodiore loco oſtendam. Nunc ne ordo dicendi omittatur, vitæ eius curſum reliquum perſequamur. Pio huius nominis Quarto, in Pōtificia ſede Quintus ſucceſſit, commemorabilis vir ſanctitatis. Hic hominem minimè in ocio relinquendum, ad gubernacula Reipublicę reuocans, Apoſtolicæ Cameræ Clericis annumerauit; qui locus quòd negotioſam pariter & illuſtrem habet iuriſdictionem, cum ſcientiam iuris non vulgarem, tum celeritatem mentis diligentiamq; deſiderat. Nactus hunc campum Saluiatus in quo excurrere virtus eius ſpectarique poſſet, cauſis pernoſcendis, ſententia dicenda, iuſtitia & æquitate decernendi, inter Collegas vnus excellens, laudem maximam aſſequebatur. Tum verò cuiuſmodi vir eſſet apertiſſimè viſus eſt declarare, cum ingraueſcente difficultate annonæ, propria quidem illius Ordinis, ſed extra ordinem ampliſſima cum poteſtate rei frumentariæ Præfectura in vniuerſam Eccleſiaſticam ditionem, illi à Pio Pontifice mandata eſt. Magna hæc cura P. A. non ignoratis, vel ad exiſtimationem hominum, vel ad vtilitatem. Hæc alimenta ciuium, hæc vitam continet populorum, hæc Principis famam tuetur. Hic vir egregius, quid non effecit? quemadmodum animi totius vires intendit? Quem laborem, vt vbertas huic Vrbi, & Eccleſiæ ſubiectis populis adflueret, ſubterfugit? Quas contentiones, ne qua pars muneris ſui deſideraretur, ſuſcipere recuſauit? Extra-

hebantur intrepida auctoritate perituræ horreis meſſes, quas diuitum auaritia, quaſi carceribus clauſas continebat. Fruges, vel ex proximis, vel ex remotis prouincijs eximia prouidentia aduehebantur. Auerſæ in alias oras, admirabili celeritate redibant, Publicanorum, ac mancipum fraudes, & interdicta legibus monopolia detegebantur vigilantia ſingulari; Cupidorum hominum impotentiæ, ne pretia immanius augerent ſumma ſeueritate reſiſtebatur; fora in publicum expoſito venali pane complebantur. Exuberauit ergo annona populis, & ad ſatietatem redundauit, maleq; ſuada fames exterminata receſſit; quin caritas expulit caritatem, cum diuino quodam amore incenſa huius viri mens, egeſtati communi atque penuriæ copioſiſſimè ſubueniret. Regium hoc eſt populis alimenta prouidere quibus vitam & ſpiritum ducunt, vt non immerito, ab optimo Poeta Rex ille Greciæ Paſtor populorum ſit appellatus. Sed non minus tum Regij animi Saluiatum idem Pontifex iudicauit, cum oneribus Vrbanis ſolutum, difficillimo tempore ad Regnum Galliæ, maximis de rebus ſuo nomine cum Chriſtianiſſimo Rege Carolo Nono acturum tranſmiſit. Eo itinere, Principes quoque Italiæ, dum fines eorum prætergreditur adire iuſſus, admirabili celeritate, atque prudentia, quæ habebat ad illos mandata confecit. A Rege Carolo, & pro coniunctione ſanguinis, & pro cognita virtute humaniſſimè exceptus, auditus, dimiſſus, omnia Pio ex animi ſententia retulit. Id huius rei argumentum, quòd quadraginta vix dierum interuallo, ab eodem Pontifice, longè aliam diuerſam ob cauſam in Galliam citatis equis iterum mittitur, nimirum, vt Alexandrino Cardinali ex Hiſpanica legatione per eas terras reuertenti obuiam factus, apud Regem adeſſet; ſic Pio exiſtimante, huius viri præſentiã, non parũ in Regio illo congreſſu, Legato fratris ſui filio, cum dignitatis, tum vtilitatis afferre poſſe; quæ ſane ſpes haud eum fefellit. Hæc atque alia præclara virtutis experimenta, ſic Saluiatum eidem Pontifici commendarant, vt minimè dubium eſſet quin prima Cardinalium lectione, eum in Ampliſsimum Ordinem eſſet cooptaturus; quem honorem illius Principis morte dilatum, Gregorius deinde Tertius decimus, qui proximè ſucceſsit, ſerius quidem aliquanto, ſed maioribus meritum, partumq; laboribus illi tribuit. Gregorius ſtatim atque Pontificatus ſolium aſcendit, Gallica ſub Pio Saluiati itinera, reſq; in illis pruden-

tiſsimè

tiſsimè geſtas animo reputans, eo ſe in eodem Regno Interprete, atq; Internuncio commodiſsimè vti poſſe iudicauit. Magno tum in motu, & perturbatione Gallia verſabatur, quæ annorũ ferè viginti bellis exagitata, etſi paululum quieuiſſe videretur, Regni tamen ſtatus in tuto non erat. Homines fera, & implacabili natura, rerum nouarum deſiderio, Regem in amicum propinquumq; Regem, tanquam in hoſtem aſſidue inflammabant, ipſe ab eiſdem fallaci erga ſe & ſimulata mente, hoſtilia metuere cogebatur. Itaque Carolum qui tum regnabat, non tam auctoritate Regij nominis, quàm præſidijs ac cuſtodijs, ſe ſeq; & ſua tueri oportebat. Rara fides, multæ inſidiæ, crebræ conſpirationes emergentes, anxium eum ac ſollicitum habebant, quodq; maxime dolendum erat, hi rerum turbines catholicam Religionem, quæ quondam in eo Regno florentiſſima fuerat in extremum diſcrimen adducebant. Hæc in tempora adeo impedita ac turbulenta Saluiati Internuncij aduentus in Galliam incidit, vbi ſexennium integrum quod illic tranſegit, talem ſe huic Sanctiſſimæ Sedi miniſtrum præbuit, vt omni laude virtutis, ceteris quicumque ad ſimilia munera quandoq; deligentur, exemplum proponi poſſit ad imitandum. Etenim cum id vnum præ oculis haberet, vnde, & quam ob cauſam legatus fuiſſet, nil aliud dies noctesq; cogitabat, niſi quemadmodum & religionem ſaluam incolumemq; ſeruaret, & Regnum de eadem religione optimè meritum ex impendentium malorum periculis liberaret. Fecerit id nec ne exitus rerum probant, quæ breui tempore in Gallia acciderunt. Sexto poſt menſe quàm eò Saluiatus peruenit, labes illa ac flamma Regni, bellorumq; ciuilium tuba Gaſpar Amiralius, armis quæ in prouincias Catholici Regis comparabat, in caput eius conuerſis, intempeſta nocte, pila æneo tormento emiſſa Pariſijs transfoditur, domoq; ad quam relatus fuerat obſeſſa & expugnata, præceps è feneſtra deijcitur: eodemque tempore occupatis vijs, tectiſq; ciuitatis, perduellium magna vis, vno impetu, atque ſtrage iuſtiſſimè trucidatur. Afflicta eo facto, ac prope deleta impietas concidit, quæ alacris antea & armata volitabat; Catholica religio quæ abiecta, & tremefacta iacuerat, de perditiſſimorum hoſtium ſcelere ſublimis & erecta triumphabat. Aderat tum in Gallia, in eaq; ipſa vbi hæc acta ſunt Lutetia Saluiatus, Regiam aſſiduè frequentabat, erat cum Rege, & cum Regina multum, multorumque conſiliorum ſocietate

coniun-

coniunctus, fidem illis Catholicam & pacis ſtudium præcipuè, enixèq; commendabat. Quid dicam, Patres Ampliſſimi? aut quo veſtræ mentes inclinant? Facinus ne illud præclariſſimæ cædis, conſilio Internũcij patratum fuiſſe? Minime id quidem dicendum: Nam, cum hominem ſacris initiatum negocio ſanguinis ſe immiſcere fas non erat, tum exploratiſſimum habetur, re cum propinquis, fidiſq; amicis ſecretius communicata Regem ſemetipſum, Regnumq; totum, eo facinore in libertatem vindicaſſe. Sed eſto, non modo non auctor, ſed ne particeps quidem, aut arbiter; ſed ne conſcius quidem eius rei Saluiatus fuerit antequam fieret, quod veri profecto ſimillimum eſt, ne ſuſpicione quidem illum tantam noxij ſanguinis effuſionem attigiſſe, ò mirificam tamen bonitatem, ò iuſtum Domine iudicium tuum iuuat exclamare, qui viro huic ea mente in Galliam profecto, vt quietem illi Regno quantum in ſe foret ſecuramq; & florentem religionem præſtaret, fructum hunc ſui temporis dare volueris, vt vtriq; rei grauem maximè, infenſumq; hoſtem, illico aduentu ſuo è medio ſublatum videret, vnaq; conſceleratorum infinitam manum memorabili ſtrage deletam. Vidit enim ſimul ſeditionum nubes omnes, tenebraſq; diſcuſſas, ceu noua quædam lux Regnum id totum diuinitus colluſtraſſet; Vidit omnium bene ſentientium cauſam afflictam prius atque iacentem, ſubleuata religione, in ſpem melioris ſtatus excitatam. Facinus ergo illud pulcherrimum Caroli fuit, Saluiati felicitas, tuum ſumme Deus immortale beneficium. Niſi fortè etiam huius viri virtus tuo adiuta numine, aliquid ex illa laude decerpit, cum ex pijs, ac prudentibus monitis, quæ in vniuerſum is pro Catholicæ fidei, Regniq; Gallici libertate generoſi Regis animo inſtillabat, deliberatio illa in exitium perfidorum hoſtium ſuſcepta, vel naſci, vel vires ſaltem potuerit aſſumpſiſſe. Certe cum ex Internuncij literis cognita res fuiſſet, tanta Romæ publicè lætitia fuit, vt & ſupplicatio Caroli Regis nomine decerneretur, & de Cardinale ad eumdem gratulationis cauſa legando actum ſit, viſaq; res Gregorio fuerit digna, quæ ſui ſeculi ornamento, in Vaticanis ædibus nobiliſſimo loco picturis expreſſa, ſpectanda gentibus proponeretur. Sedenim vt ad alia veniam, illud optimi Internuncij opus fuit, huiuſq; ſine controuerſia virtutis proprium, quòd toto quo in Gallia reſedit tempore, incredibili eius labore ac diligentia, inter duo potentiſſima Chriſtiani orbis Re-

gna

gna Pax ſtetit immota; quam cum homines quibus quieta mouere magna voluptas erat, quoquo modo labefactare ac diuellere niterẽtur, atque in Catholicum Regem Philippum claſſicum aſſiduè canerent, Belgiumq; ſibi belli gerendi campum arbitrarentur eſſe conſtratum, ita hic velut Angelus pacis Regno illi de cælo lapſus, ſtudio, auctoritate, contentione, precibus, Carolum in officio continuit, & ab omni armorum cogitatione reuocauit, vt quemadmodum fraterna propinquitas ſanguinis inter duos Reges erat, ita inter eoſdem fraterni nominis caritas conſeruaretur. O factum ad gloriam huius ſanctæ Sedis inſigne, quæ viros tales proferat, quorum virtute ad pacem ſibi à Chriſto legatam longè gentium tranſmittendam cum maximorum ſalute Regnorum vti poſſit. Pace enim Regna conſeruantur, qua ſublata nihil ſtabile eis aut florens permanet; nutant leges, iudicia diſſoluuntur, diſciplina corrumpitur, mores dilabuntur, artes obſoleſcunt, Religio negligitur, victus perit, cędibus, flammis, rapinis miſcentur omnia, omnis humana ſocietas violatur, omnia denique ad occaſum & interitum ruunt. Hanc inter magnos terrarum dominos, ſolus quidem ſummus dominator Deus, cuius in manu ſunt corda Regum componendi habet poteſtatem, ad quam ſi quando tuendam, ſtabiliendamq; certorum hominum opera atque auctoritas valere cernitur, caros illos eidem Deo, dilectoſq; profecto dixeris, cuius inſtinctu vt tantum boni mortalibus curent excitantur, cuius ope vt id feliciter confectum reddant efficitur. Talem tunc temporis Ant. Mariam Saluiatum agnouit Gallia, quo apud ſe morante nulla belli ſenſit incommoda, maximos contra firmæ, & diuturnæ pacis fructus percepit. Longum eſt omnia perſequi, quæ ex hoc fonte ad illud Regnum bona manarunt, vnum certe ſilentio prætereundum non eſt, quod & cum humana caritate, & cum diuina eſt religione coniunctum. Ordo Beati Franciſci ſeueriſſimæ diſciplinæ, qui Capuccinorum vulgo dicitur, à principio ſuæ inſtitutionis, cum iam tot annos in alijs Chriſtiani orbis partibus floreret, non fuerat adhuc receptus in Galliam, vt condemnati ſanctiſſimi Patres ab illis gentibus, exilioq; multati viderentur. His ingenti pietate Saluiatus aditum in omne id regnum aperuit, cuius eos in primarijs ciuitatibus, quaſi diſtributis colonijs conſtituit, adeo vt ad quattuordecim Cænobia alibi, atque alibi erecta fuerint, mirificæ pietatis exemplis illuſtria, quibus

bus Pontificia diplomata, & Regia priuilegia impetrauit, & cum ad loca coemenda, & extruenda, tum ad victum parandum magnam pecuniæ vim de ſuo, inſigni liberalitate eſt elargitus. Omitto cetera, ne acta annorum ſex intra ſemihoræ curriculum cogere velle videar, ſed Gallicis vt ſpero tradentur annalibus, quæ in illa ſpecula Religionis vir optimus collocatus, vel aduerſus hęreticos vigilanter, vel pro Orthodoxis piè, vel cum Rege prudenter, vel cum populis liberaliter, vel in periculo fortiter, vel in ocio moderatè, vel denique in omni Apoſtolici muneris functione, ex S.R. Eccleſiæ dignitate, perfectè, cumulateq; geſſit. Aegre igitur longo poſt tempore, facultate ad Vrbem redeundi à Gregorio Tertiodecimo impetrata, qui Saluiati operam in Chriſtianiſſimo Regno maximo ſibi vſui, & honori eſſe animaduertebat, ita ab illa Regia deceſſit, vt cum Regi Reginæque, quorũ animos ſibi incredibiliter deuinxerat, tum Gallicæ omni nationi cuius moribus ſe admirabili dexteritate ingenij accommodarat, gratiſſimam memoriam reliquerit nominis ſui. Gratus non minus eius ad Vrbem reditus fuit, Populo, Senatui, Pontifici gratus. Et huic quidem poſteaquam Chriſtianiſſimi Regni ſtatum, in eoq; à ſe acta pudenter expoſuit, in quibus ſapientiſſimus ſenex nihil habuit quod deſideraret, ne verbo quidem illa amplius vir nobiliſsimus attigit, ſed tantis rebus geſtis, perinde ac ſi nihil egiſſet, iuxta præceptum Domini, ſeruum ſe inutilem ducens, totum illud Gallici muneris tempus perpetua obliuione taciturnitatis oppreſsit. Redijt ad priſtinas Apoſtolicæ Cameræ functiones ſicut vnus è ceteris, cumq; ſenioribus iam morte ſublatis Princeps Ordinis eſſet, in quem multò pars maxima negociorum recumbit, neque eorum ſe mole tanquam fluctu obrui ſinebat, & fidei, poteſtatiq; ſuæ commiſſa admirabili ſapientia & æquitate definiens, locum prouocationi aut dubitationi non relinquebat. Hæc de illo omnium mentes opinio peruaſerat, hæc apud Principem, hæc apud populum fama valebat, adeo vt ille quidem, tamquam ad oraculum iuſtitię, cum arduum quidpiam ex iure ſtatuẽdum foret, ad Saluiatum litigantes tranſmitteret, hi ſe portum veritatis nactos non dubitantes, libentiſsime in eius ſententia & auctoritate conquieſcerent. Quis eſſet obſecro, qui virum talem non dignum iam maiori faſtigio duceret, qui non pro iure ſuo, probatæq; virtutis merito, ampliſsimi huius Conſilij locum petere, ad eumq; occupandum

dum omni via, & ratione niti poſſe fateretur? Fuit fuit hoc ſemper excellenti animo Saluiatus, vt laborandi dumtaxat ſibi partes aſſumeret & Reipublicæ inſeruiendi, ad honorum præmia quæ virtutis vmbram exiſtimabat, ne mentem quidem adijceret, illa non tam adipiſci ſtudens, quàm mereri. Quapropter, vt ad altiorem gradum aſcenderet nihil fecit vnquam, nihil agitauit. Pontifici obſequebatur, ſed obſequium ambitione non corrumpebat. Regibus honorem tribuebat, ſed per eorum commendationes, viam ſibi ad honores non faciebat. Potentes in aula & apud Principem gratioſos colebat, ſed muneribus eorum gratiam, & aſſentatione non colligebat. Bonus eſſe quam videri malebat, ſimplicitatis amator, ſimulationis inimicus; neq; ſibi, neq; mortalium cuiquam aſſentator, aliorum obſeruans, parciſſimus æſtimator ſui. O dignum virum quem ſapientiſſimus ille Gregorius vltrò vocaret, & in præclarum illum delectũ includeret, quo Ordo veſter P. A. plurimum adeptus eſt ſplendoris, & dignitatis. Factus eſt enim non petendo, ſed merendo, nec ambiendo ſed obtemperando, cum excellentiſſimis viris Ant. Maria Saluiatus, Cardinalis. Intelligo P. A. in huius hominis vita ante Cardinalatum, plus à me temporis quam deceret, forſitan eſſe conſumptum. Sed cum rerum ab eo geſtarum copia, atque præſtantia, tum quòd veſtram in audiendo benignitatem perſpexi, longius vt proueherer effecit. In quo ſi qua eſt culpa, compenſabitur breuitate eius orationis quæ reliqua eſt de ampliſſima dignitate, in qua etſi tam multa laudanda ſint, vt quilibet veſtrum vno in homine virtutes ſuas poſsit agnoſcere, partẽ tamen maximam prætermittam, ſumma modo capita rerum perſtringam. Etenim cum quatuor illa ſint quæ in optimo Cardinale eſſe debere videantur; Vitæ probitas, Sapientia, ſtudium & Caritas erga hanc primã Chriſtianæ Reipublicæ ſedem, ac denique Beneficentia, omnia hæc in Saluiato ſummè excellenterq; fuiſſe, facile perſpici poteſt. Probitate in primis eum qui tantam perſonam ſuſtineat excellere oportet. Nihil eſt enim minus ferendum, quàm qui ceteris ſuperior ſit honore, inferiorem eſſe virtute. Hic mihi laborandum non eſt, vt qualis vir hic fuerit oſtendam, de quo nihil vnquam alienum ab honeſto auditum eſt, quem tanta grauitate, moderatione, innocentia vidimus, vt ſpecimen quoddam antiquitatis haberetur, adeò non modo ab omni labe, ſed à ſuſpicione criminis caſtum animum, corpuſ-

que ſeruauit, vitęque inſtituto, cum ſanctiſsimo, tum integerrimo Deo ſe,atque hominibus probatum reddere ſtudebat. Qui cum talis ipſe eſſet, vt nullum eius dictum aut factum in cuiuſquam poſſet reprehenſionem incurrere, vir ſine exceptione laudandus familiam circa ſe habebat, adeo modeſtam, grauem,honoratam, vt appareret eam non ambitiosè inductam, non alluuione aggregatam, ſed ex meritis perſonarum delectam, decente Cardinalem ſanctimonia, intra omnium officiorum fines contineri. Deinde ſapientia ab iſto Ordine poſtulatur, cuius conſilijs tanquam firmis cardinibus fulta,Chriſtiana Reſpublica ſuſtentatur. Hanc porro eximiam in hoc viro fuiſſe, nulli magis quàm vobis P. A. notum eſt. Veſtris enim conuentibus illa ſe profert, locuſq; ille in quo Senatus habetur,quoddam ſapientiæ theatrum dici merito poteſt. Nunquid igitur,eo in Orbis terræ grauiſsimo ſanctiſsimoq; conſilio,cum ſententiæ de maximis rebus exquirerentur, non primarum ſemper partium Saluiatus fuit? Quoties cum ancipites huc atque illuc mentes nutarent,& ſecuti eius auctoritatē,& prudentiā admirati eſtis?Quæ ſanctio, quæ lex, quod edictum per hoſce annos duodeuiginti (tot enim Cardinalis vixit)ex hac Vrbe ad Populi Chriſtiani vtilitatem emanauit, vt non eius iudicij magna in primis ratio habita fuerit? Quæ conſilia belli, quæ pacis, quæ ſalutis communis non hoc eodem auctore,& conſuaſore ſuſcepta?Difficile Reipublicæ negotium mentis celeritate luſtrandum erat; quis acutior? perſpicacia in iudicando adhibenda; quis ſolertior? Ratio rei exequendæ conſtituenda; quis ab omni parte prudentior? Nam cum à natura polleret ingenio, bonitatem ingenij diſciplina, diſciplinam vſu confirmaſſet, ita rectiſsimam rerum agendarum normam tenebat,vt & finem longe proſpicere,& ad eum ducentia inueſtigare, & nodos omnes difficultatum explicare noſſet, vt mirandum non ſit, ſi deliberationes eiuſmodi capiebat, vt quod ille cenſuiſſet,quaſi non poſſet non feliciter euenire,id comprobaretis vniuerſi. Timidius hęc alibi dicerem, quæ coram vobis P. A. magno animo confirmo, nihil metuens, ne quid fingere, ne quid amplificare videar in his, quorū grauiſsimos teſtes præſentes habeo, quæ à me dicūtur perſpicua aſſenſione comprobantes.Hoc profecto illud eſt quod apud Pontifices omnes pari gratia & auctoritate Saluiatus valuit, à quibus opinione hac ſapientiæ tantopere æſtimabatur,vt extra legitimū Senatum,

tum, nullum, maiorem aliquam ob cauſam neceſſarium conuentum indicerent, ad quem eum non accerſerent conſultorem; ſoliti etiam cum eodem arcana imperij, quæ maximi momenti eſſent ſecretius communicare. Iam vero id, quod inſigne profundendi ſanguinis purpura, & ſanctiſsimi iuriſiurandi religio flagitabat, quanto erga Romanam Eccleſiam ſtudio, quanta caritate Saluiatus extitit? Etenim duabus rebus P. A. veſtra in hanc ſanctam Sedem caritas ſpectari ſolet maximè, animo in conſulendo libero, ad laborandum parato. Quæ res hoc vnquam præſente in Senatu acta eſt, quæ libertatem boni Senatoris expoſceret, in qua non illi pluris conſcientia ſua fuerit, quàm ad quælibet humana reſpectus? Vna illi ſemper vtilitatis publicæ ratio præ oculis erat, cui vt conſultum eſſet, nec ſpe, nec metu abducebatur. Nihil gratiæ cuiuſquam dabat, in quo damnum facere poſſet Eccleſia, cui ſe ſuſcepto Cardinalatus honore deuouerat. Dona Principum ne illis obnoxius eſſet, modeſtè reijciebat, quorum voluntatibus, ſi quando à dignitate, & commodo Apoſtolicæ Sedis abhorrerent reſiſtere non dubitabat. Laboribus autem pro eadem ſanctiſsima Sede adeundis non minus in eam ſtudium, deuotionemq; animi ſui declarauit. Nec illa repeto quæ antequam in Collegium cooptaretur, ab eo domi, foriſq; acta iam audiuiſtis; quin & ipſius Cardinalatus plurima, quæ maximo audientium applauſu commemorari poſſent, prætermitto. Bononienſis certe Legatio ſileri non debet, quam idcirco huic potiſsimum Syxti Quinti, vt primum Pontifex factus eſt, acerrima mens decreuit, quòd turbulentus Vrbis illius ſtatus, viri præſtantis, minimeq; in labore timidi præſidium implorabat. Nec verò laborioſius exiſtimandum eſt, vi & ferro, & exercitus terrore bella conficere, quàm inteſtina mala Ciuitatū auctoritatis armis, & iuſtitiæ propulſare. Seditioſus enim Ciuis extraneo eſt hoſte deterior. Hic muros oppugnat Ciuitatis, ille legum fundamenta conuellit. Nam quis non Bononiæ modo, ſed tota Flaminia tum legibus honor erat, cum Gubernatoribus qui eò mitti ſolebant, ablata poteſtas vindicandi ſceleris eſſet? cum eorum qui imperata facere deberent ferocitas, atq; licentia, conſenſum, & quietem Populi diſturbaret? cum exules audaciſsimi mortalium, ferro, cęde, incendijs omnia non in agris modo, ſed intra oppida ipſa, Vrbeſq; miſcerent? Hanc, non tum primum emergentem, ſed adultam, & creſcen-

ſcentem in dies magis peſtem, quo remedio ſagaciſsimi, & intrepidi animi vir repreſſerit, notum eſt gentibus vniuerſis. Securi ad radicem admota, ſceleratorum copijs fuſis, fugatiſque, Iuſtitiam ingenua prolapſam erexit, ſupraq; ſolium collocauit; pacem ciuitati, tranquillitatem prouinciæ, metum legibus, reuerentiam Pontificiæ maieſtati reſtituit. Senſit tum Bononia, ſenſit omnis Flaminia, quantum à clariſſimo Legato beneficium accepiſſet, cuius pietatem, atq; clementiam, quam in alijs multis ſub eius Imperio experta erat, tunc maximè agnouit ac prædicauit, cum per eum, quod vix ſperandum videbatur, propulſatam à ceruicibus ſuis ſeditioſorum hominum impiam vim, & nefariam crudelitatem aſpexit. Itaq; ad Bononienſium, finitimorumq; populorum aures nulla moleſtior vox accidere potuit, quàm ea qua de dimittenda legatione, redituq; ad Vrbem cogitare Saluiatũ auditum eſt. Tanta illis ſpes in vno homine erat, tanta fiducia, vt depulſo periculi timore, eo decedente ſibi tamen timerent; tantus in eumdem amor ampliſſimæ Ciuitatis, vt quamuis iuſtum abeundi tempus aduenìſſet, diuelli à ſe ægerrime pateretur; tantum denique ſtudium plebis, & nobilitatis, vt publicè per Campegium Oratorem Romæ morantem cum Syxto vehementerq; egerint, ne abire permitteret. At illum, neque hac ratione, nec ſummis precibus, nec profuſis vbertim lachrymis, nec propinqua Aemilia, cui idem Legatus fuerat deſignatus, ſupplices ſimul manus tendente, complexu ſuo potuerunt retinere, multum hactenus & regionum illarum ſecuritati prouiſum iudicante viro prudentiſſimo, quòd ſtirpem, & ſemen mali extinxiſſet; & muneri ſatis factum, quod non proprij commodi cauſa, ſed alienæ vtilitatis, & parendi ſtudio ſuſcepiſſet. Fauſtis igitur Bononia profectus ominibus, cum gentes illæ omnes Vindicem, Liberatorem, Parentem ſuum appellarent, memoriamq; Legationis illius faſtis publicis inſerendam decreuiſſent, Romam tandem Saluiatus reuertitur. Quid ego nunc, quantum de egregia illa adminiſtratione debuerit ei Syxtus enarrem? Vt enim in bello militum in Imperatoris, ſic in pace Cardinalium labores in Pontificis honorem redundant. Quid reliquorum Principum, de propenſa ad laborandum pro Republica Saluiati voluntate iudicia colligam? Nam Vrbanus quidem, qui proximè Syxto ſucceſſit nihil huic oneris imponere potuit, quem ipſum illico feſtina mors onere rerum humanarum abſoluit;

ſoluit; Gregorius Quartus decimus, maximi eum ſemper æſtimauit; Innocentius cunctis Romanis Tribunalibus ſtatim præfecit; Clemens, horum felicitas temporum, ad Cardinales gratiæ libellis ſignandis delectos adſcripſit, totiuſq; Eccleſiaſticæ ditionis curam Pontificatus initio eſt impertitus. His ergo munerum publicorum laboribus, auctoritate Principum promptè ſuſceptis, & diligenter exhauſtis, ſingularis Antonij Mariæ, & optimo digna Cardinale in Romanam Eccleſiam caritas eluceſcit. Reliquum eſt, vt excellentiſsima, planèq; diuina Beneficentiæ virtute, ſicut hic ipſe Vir clariſſimus laudum ſuarum omnium perfectionem abſoluit, ita nos orationem noſtram concludamus. Hæc aut priuatim Liberalitate, aut publicè Magnificentia exercetur; quorũ in vtroque, ecquem ex omni memoria temporũ habemus, quem Antonio Mariæ Saluiato comparare poſſimus? Obrui me rerum copia ſentio, ſed ad finem properans, id vnum de huius hominis Liberalitate affirmo; cum amplæ ei eſſent facultates, non temere partæ, nec cupiditate auctæ, ſed parſimonia conſeruatæ, multa voluptatibus ſuis, & inani, ac ſuperuacaneo faſtui detrahens, nullum pecuniæ meliorem agnoſcebat vſum, quàm vt eius munifica largitione egentes ſubleuare, mærentibus ſolatio eſſe, calamitoſos eripere è miſeria poſſet. Nullus erat in donando modus, nullus calculus, nulla exceptio; Vna eaq; certiſſima lex, vt ſupplicis conſtaret inopia, neminem à conſpectu ſuo triſtem abire, neminem vacua manu diſcedere ſinebat. Parum hoc illi videbatur, niſi etiam domos egeſtate laborantes exploraret, & familijs præ verecundia intra tenebras parietum, & in ſinu calamitatem ſuam lugẽtibus, improuiſam vltro lucem Liberalitatis offerret. Atque hoc etiam infra animi ipſius celſitudinem erat. Inexhauſto enim fonte beneficentiæ ita ſe in omnes partes fundebat, vt ad pia quæq; Vrbis loca deriuaretur; quibus felicitatis inſtar erat, ſi Patronum eum, & iurium ſuorum defenſorem poſſent adipiſci. At hic illis etiam calamitatum ſuarum nomina, infortuniaq; mutauerat, Incurabilium Curator, Pater Orphanorum, Mendicorum diſpenſator, Diſperſarum Collector, miſerabilium Virginum Conſeruator. Poſſum multa dicere, de inuſitata in domeſticam familiam munificentia, quàm patrimonio tuebatur, de officijs in amicos, de benignitate in literarum profeſſores, quorum in Vrbe Gymnaſij publicum gerebat patrocinium, de iure hoſpitij comiter,

miter, ſplendidèq; ſeruato, de omni denique vel ciuilis Liberalitatis, vel Christianæ Miſericordiæ laude: ſed mihi iam pridem auguſtiſſimi huius Templi conſpectus ferit oculos, qui me interpellat,& ad ſe ſe reuocat, de ſe tandem dicere hortatur. Hęc eſt enim non intra priuatæ conditionis anguſtias definita, ſed late patens, & Regum æquata animis Beneficentia, quæ in molitiones publicorum operum explicata,gētibus lucet,Ciuitatem decorat,protenditur ad poſteritatem. Cogit me rurſus multitudo rerum præteritionibus vti. Nihil dico de honeſtiſſimis Saluiatæ genti in hac Vrbe fabricatis ædibus, quæ ipſi Vrbi non paruo ſunt ornamento; Nihil de oppido Iuliano in Volſcis ditionis eiuſdem, ad arcendas exulum, & latronum irruptiones męnibus communito. Cuius animum, atque oculos Iacobi hæc Apoſtoli Aedes, Regiæ impenſæ opus,non tacita admiratione ſuſpendit? Cuius eſt forma eiuſmodi, vt inſtar Amphiteatri nobiliſſimi, ea amplitudo, vt ad gentes excipiendas facta, excelſitas tanta, vt nubibus caput inſerere, tam firmo ſaxo fundata moles, vt in æternitatem duratura videatur. Adde ſymmetriam operis, & elegantiam; adde ſacella altaribus ad rem diuinam inſtructa, & decorata; adde Apoſtoli ſimulacrum peramplum è Pario marmore,& ſumma arte perfectum; adde aram hanc maximam quam tot ſculpturæ, picturæq; ornamentis elaboratam videtis, cui Tabernaculum impoſitum eſt diſcolori pretioſorum lapidum varietate diſtinctum. His nunc omnibus ſuo ſole extincto, veluti caligo quædam noctis offuſa cernitur. Ipſi parietes atrati lugent,& lachrymoſis tot verſibus, quibus eos ſtudioſorum Vrbis ingenia circumtexerunt,Parentis optimi nomen inclamant. Lugent, & in proximo ampliſſimis porticibus ædes inædificatę, ægrotorum hoſpitium,quibus Saluiati Cardinalis à terris diſceſſu, certiſſima ſpes eſt ſalutis ablata. En in conſpectu præclariſſimum monumentum, in veſtigijs prope Auguſti Cæſaris Mauſolei excitatum, ſed longe hoc nouum quam illud vetus auguſtius, quòd illud profani Imperatoris orco damnatos cineres, hoc religioſiſſimi Cardinalis reſurrectura ad vitam oſſa complectitur, verèq; eius non ſolum corporis, ſed multò magis eſt gloriæ Mauſoleum. Quamquam huius præclariſſimi viri magnificentiæ gloria, non hic quaſi ſepulta iacet, nec vno circumſcribitur loco. Vidiſtis in Cælio, ad Magni Gregorij ædem huius quondam fidei commendatam, patefactam aream, graduſque ad

aſcen-

aſcenſum Templi dilatatos, vbi antea ob locorum anguſtias, confluente ad feſtos dies turba populorum, moleſtiſſimè premebamur. Vidiſtis ibidem Sacrarium nobile, partem Gregorianæ domus, vbi cæleſtis Virginis imago monſtratur, quæ Pontificem illum ſanctiſſimum affata traditur, cui omnem venuſtatem vetuſtas longæ ætatis abſtulerat; id nunc munifica Saluiati impenſa, maculoſis columnis, camera inaurata, pictura pereleganti ita collucet, vt dignitati religionis egregiè ornatus loci reſpondeat. Vidiſtis in vetere Martis Campo, eiuſdem Virginis templum ad Equiria, cui ab Anaſtaſio Quarto Pontifice conditore, cum per annos ſeptingentos nullus manum admouiſſet, ruina proxima impendebat; Hoc Antonius Maria, quòd antiquiſſimo ſibi titulo traditum meminiſſet, reficere à fundamentis exorſus, etſi morte intercedente abſoluere non potuit, per Clariſſimum tamen, & opum, & operum ſuorum heredem vrget poſt mortem, atq; abſoluit, futurumq; profectò eſt, vt vtriuſq; nominis memoria ſempiterna, ſimul cum Templo illo conſecretur. Huic Templo domicilium coniunctum eſt Orphanorum, cuius in parte Vir in bonas artes etiam magnificus & liberalis, Collegium conſtituit de nomiñe familiæ nuncupatum, in quod ſelecta è promiſcuo numero loci illius puerorum feliciora ingenia, ne pereant, Latinis, Græciſq; litteris excolenda transferuntur, quorum bona pars carminum eſt, quibus in hodierni celebritate funeris Aedem hanc cernitis exornatam. O loca illa beata, quæ tali viro contigit commendari. Non ſatis ea habebat extruere, inſtaurare, ornare, amplificare; ſed in patriam veluti tutelam recepta, muneribus, & officijs Chriſtianæ Beneficentiæ perpetuò proſequebatur. Quapropter, & ad hos proximos inſanabili tabe affectos, annua medicamenta non paruis ſumptibus comparabat, & orbas puerorum, puellarumq; familias, præter communis patrocinij prouidentiam, de ſuo ſæpe largiter adiuuabat, & non in magnis ambulans, neque in mirabilibus ſuper ſe, cum paruulis, & cum pauperibus, in quibus Chriſtum agnoſcebat verſari, pulcherrimũ ſibi, ampliſſimumq; ducebat; quorum etiam domos attributis reditibus, opimis prædijs, & amplis in morte legatis locupletauit; nimirum id ſpectans ne beneficia eius breuis vſura temporis exhaurirentur, ſed omnium eſſent ætatum, omnium ſeculorum. Ipſe autem quid? Puncto temporis ablatus eſt. Etſi enim in ſenectute bona mortuus deceſſit, quæcunque

cunque tamen noſtræ longitudo vitæ momentum eſt, ſi cum æui ſempiterni infinitate comparetur. O quam caduca, ò quam fallax eſt fragilitatis humanæ conditio. Sanis & valentibus, & ab omni ſuſpicione periculi ſecuris, obrepunt morbi, mors occurrit, vita reciditur. Et tela quidem quæ in bello iacit inimicus, vnde veniant apparet; morbi latentes cauſas habent, & ſæpe cum ignorantur, in viſceribus hęrent, & inteſtina lue ad interitum graſſantur. Antonium Mariam Saluiatum integerrimo corpore, ſumma frugalitate, diuitiarum ad ſe tuendum copia, quamuis multis, & magnis pro Republica laboribus exercitum, non fractum tamen, aut debilitatum, ex occulto, atq; ex inſidijs mors aggreſſa proſtrauit. Intus erat hoſtis, & diuinum illum animum nobis neſcientibus ſenſim à corpore diſſuebat, cum interea trium, & quadraginta dierum ſpatio, quibus in lecto iacuit, nullus erat (ſeu quia valetudinem eius, annis quinquaginta intentatam fuiſſe ferebatur, ſeu quòd nec curſus tantæ virtutis interrumpi, nec conceptæ de eo ſpes falli poſſe videbantur) nullus inquam erat, qui crederet moriturum. Sollicitudo quidem erat maxima totius Ciuitatis. (Qui enim aliter in tanti viri periculo fieri poſſet?) Ceteri de quacunque re alia rumores, ſermoneſq; in Vrbe conticuerant, vnus erat Saluiatus in ore Populi, in ore optimatum, Ecquid valeret? Ecquid quieuiſſet? Ecqua ſpes eſſet? In quo ſanè incredibilis in eum hominum omnis ordinis, omnis ſexus, omnis ætatis amor conſpectus eſt; maximèq; cum area, quæ ante domum eius eſt, concurſu populi compleretur; qui nuncios ſubinde valetudinis eius captabat, nec ab ea domo deijciebat oculos (ò domus ſedes Liberalitatis, horreum publicum Paupertatis,) ex qua domo, ne qui vita multorum erat, breui mortuus efferretur metuebatur. Vidiſſes de ſtatu ſalutis illius, pro vt murmur aliquod increbreſceret, immutari facies omnium, pauere, excurrere, rogitare, affictare ſeſe, manus ad cælum tollere, vt ſi in vnius vita ſpes omnium eſſet, neminem qui non, & præ dolore deiecto vultu à foribus illis, & oculos manu tergens diuelleretur. Accepta tandem calamitas eſt; nil deſideria publica, nil populi lachrymæ, nil tot in vnius ſalutem collata vota valuerunt. Animam egiſſe Antonium Mariam Saluiatum auditum eſt. Qui gemitus? Quæ repentino veluti tonitru cõſternatio Ciuitatis? Quæ tum mœſtitia, qui dolor, quæ comploratio omnium fuit? Elatus eſt media

Vrbe

Vrbe ad hanc eius pulcherrimam Aedem,refertis vndiq;vijs paſſim lachrymante populo; feneſtris, tectiſq; ſpectantium pariter & ge-mentium multitudine laborantibus; corpuſq; animi illius ſedes cu-ius tantum ingenium,tanta humanitas,tanta denique virtus extite rat,intra hoc ſuæ religionis ampliſſimum monumentum conditum eſt. At animus ipſe diuinis myſterijs expiatus, Clementis Pontifi-cis Opt. Max. paulo ante mortem præſentia munitus, indulgentia muneratus, ſarcina quidem terreſtri exutus, ſed cæleſti trabea decoratus (vt ſpem porrò de ſe ſanctiſſimè viuendo dedit) Angelis pietatis eius opera in conſpectum Diuinæ maieſtatis deferentibus, diuerſo itinere ad empyrea Cæli templa ſubuectus eſt, vbi quos in terris ſparſerat, centuplum multiplicatos theſauros inuenit, labo-reſq; quos S. R. Eccleſiæ fideliter ſeruiendo tolerauit, ſempiternæ felicitatis quiete compenſat. Funus ei tu quidem, Laurenti Saluia-te,magnifico & ſumptuoſo apparatu,quemadmodum & in ampliſ-ſimum Patruum pietas tua, & eius in te,multoq; magis in Chriſtia-nam Rempublicam merita poſtulabant feciſti: Ampliſſimus Ordo præſentiæ ſuæ lucē, magna in clariſſimū Collegā beneuolētiæ,& iu dicij conteſtatione exhibuit,mærorem populi totius, & cum à Ciui bus, tum ab exteris congeſtos in eum honores, aſpicere potuiſti. Quid porro reſtat? niſi vt luctui, qui hactenus iuſtiſsimus fuit, finis prudentiſsimè imponatur? Hoc illuſtriſsimo Saluiati generis lumi-ne,tuq;,& tua poſteritas omnis in perpetuum lætetur; hunc deniq; liberis quos tibi Deus conceſſerit intuendum, hunc imitandum oſtentes. Vos P. A. qui etſi non propinquitate ſanguinis,Collegij tamen ſocietate nihil à tanto viro ſeiunctum habetis, conſeruate præſtantiſsimi Collegæ memoriam, eumq; non tam Deum ſibi re-petijſſe vobis moleſtum ſit, qui dederat,quàm inter vos aliquando, eius beneficio habuiſſe gloriamini. Erit enim profectò ſemper Or-dini veſtro decorum,atq; magnificum,talem in eo Virum extitiſſe, qui virtute, ſapientia, rebuſq; pro hac ſanctiſsima Republica ge-ſtis, cuius ad gubernacula ſedetis, & ſuam egregiè ſuſtinuerit, & veſtram auxerit dignitatem.

In Funere ANT. MARIAE SALVIATI CARD. AMPLISSIMI POEMATA VARIA

Candido Lectori.

Cum carmina in Templo S. Iacobi in Auguſta, ad Optimi Cardinalis memoriam, exequiarum die decorandam affixa, multitudine prope infinita fuerint, ad prolixitatem vitandam, placuit ex tanta copia pro tempore pauca ſeligere, quæ iuxta orationem in lucem ederentur. Tu hæc ſi lubet, perlege, & tantæ iacturæ pius collachrymare.

Collegij Saluiati, in obitu Opt. Parentis, & Fundatoris LACHRYMÆ.

Carmen Heroicum.

EXTINCTVM triſti Saluiatum funere Roma
Luget, & ad niuei lapidem proſtrata ſepulchri
Crudeles Parcas, crudelia ſidera clamat.
Nil adeo cordi dilectæ matris acerbum
Contigit, auſpicijs ex quo felicibus Vrbem
Romulus extruxit: Regni licet illa ſuperbi
Luxerit vltores Brutos, deuotaque morti
Pectora tot, Decios, Fabios, rigidoſque Catones,
Scipiadaſque truces; & mille inuicta Quiritum
Nomina, mille ducum, dolor hic excelluit omnes.
Principio eximia ſpoliatum luce Senatum

Ingemit ingenij, cuius mens cauſa latentes
Explorans cauſas longè ventura videbat;
Conſilia & trepidis capiebat fortia rebus.
Flet robur cecidiſſe animi, cui nulla pericla
Terrori fuerant vmquam, duriue labores
Dum fidei conſtaret honos, & ſæpe labanti
Iuſtitiæ, legum reuerentia firma maneret.
Tum ſacra Relligio templis venerata ſuperbis
Excitat ad luctum, cui pendent aere, cæptæ
Ingentes operum moles, aut ſordibus atris
Tectaq; funebri mærent altaria panno.
Huic comes effuſis Pietas diuina, capillis,
Flete ait, ò Patriæ columen Patremque Quirites,
Perfugium miſerorum, & egentum dulce leuamen.
Huius opes non arca ſinu claudebat auaro,
Nec turpe augebat fœnus, nec perdere ſueta
Prodiga luxuries, & inanis gloria faſtus.
Pauperibus dextra ſemper patuere benigna,
Quis viduæ pepulere famem, dulceſq; Hymeneos
Sæpius adiutæ tenere iunxere Puellæ,
Sæpius & nudi caſtum texere pudorem,
Sæpius & cæco ſeruati carcere vincti.
Ipſe autem paruo contentus nobilis Heros
Gaudebat tenui menſa, modicoq; paratu,
Naturæ quantum ſatis eſſet: tum comitatus
Illi tantus erat, quantum ſacri Ordinis amplus
Exigeret ſplendor; cultuq; ad fræna modeſto
Exigui numero famuli: ſic diues in omne
Semper erat pietatis opus, ſibi parcus egenſque.
Hunc igitur, Pietas, orbi lugete Quirites
Nec deſiderio pudor eſto, nec modus, inquit.

Tam cari capitis: lugubres ducite pompas,
Vocibus & gratis extincti dicite laudes.
En clamant, cæliq; ferunt ad ſidera nomen
Nec niſi Saluiatus reſonat, volitatq; per ora.
Hic iuuenis ſacra decoratus tempora mitra,
Sexcentos inter Patres, intra alta Tridenti
Mænia diuinæ ſanciuit dogmata legis.
Hunc Pius, excelſis ſuperatis Alpbus ire
Longum iter, & Gallo bis magna negocia Regi
Edere mandauit, reſponſaq; fida referre.
Hic quoq; Gregorij terras acceſſit ad illas
Nuncius, atq; Araris ſenas prope litora brumas
Exegit, patiens torpentis frigore celi.
Quæ tum illic exempla dedit, mentiſq; ſagacis
Inuictiq; animi? Teſtis purgata rebellum
Gallica terra lue; tunc cum Collignius alta
E ſpecula præceps, perſoluit ſanguine pœnas,
Et traxit ſecum ſocias ad Tartara turmas.
Auxit & hoc fidei tunc Pax inſigne trophæum
Publica, qua Gallos, & fortes inter Iberos
Depoſitis armis, horrentia bella quierunt.
Nec minus hic poſtquam roſeo caput induit oſtro,
Heſperiæ noſtræ magnus fuit vtilis Heros.
Illi inſigne Crucis, præ ſe tu Xyſte ferendum,
Legati & nomen dederas, quò viſeret oras
Flaminiæ, magno populos turbante tumultu.
Ætherea tum lapſa plaga, illi ſe enſe coruſco
Iuſtitia adiunxit comitem, tectiſque recepta
Felſineis, priſcos legum reparauit honores,
Et nimis audaces animos eſt vlta potentum.
Quis tanta virtute virum, non crederet alto

Serua-

Seruatum Petri ſolio? qui ſecula terris
Aurea, Saturno quondam regnata referret?
Spes erat hæc, vanas quam mors exploſit in auras,
Inuida noſtrorum ſemper mors atra bonorum.
Hęc telis aggreſſa ſenem, quæ nulla medentum
Pellere vis potuit, malè notæ legibus artis;
Cuius ob interitum, poſthac Medicina perenni
Inuidia flagrans, credetur inane repertum,
Quamuis ipſe parens illa ſe iactet Apollo.
Heu talem perijſſe virum? cui corpus ab omni
Exſuccum morbi ſpecie, ſeniumq; inuenta
Fortius, & parci ſolers cuſtodia victus,
Spondebat Pylij numeroſos Neſtoris annos?
Quamquam ille & meritis longè præſtantibus, æuo
Dignus erat maiore, ſcelus cunctiſq; nefandum
Gentibus eſt viſum, potuiſſe occumbere leto.
Hinc Romę ex alto ſuſpiria pectore manant,
Hinc dolor, hinc lachrymę: quòd ni iam ſede potiri
Ætherea ſpes certa foret; melioreq; vita
Viuere Saluiatum, populi mærentia corda
Vinceret ipſe dolor, gelidique ad marmoris vrnam,
Amiſſi Patris vſque memor, ſolaminis expers,
Perpetuo luctu Roma externata iaceret.

Elegia.

SOlue comas, gemituſque alto da pectore Roma,
Nec pia ſit lachrymis ora rigare pudor,
Amiſti eximia Ciuem pietate decorum,
Quo cum vnà Imperij ſpes quoque lapſa tui.
Hunc fore nam celſa Virtus ſpondebat ab arce,
Qui populis latè iura colenda daret.

Quique

Quiq; Petri leges toto diſpergeret orbe,
Vſque ſub Antipodum ſubdita Regna plagę.
Heu tibi quę in nebulas rapuerunt gaudia venti?
Quantis orba iaces Martia Roma bonis?
Quò Pietas, quò viua fides, probitaſq; receſſit?
Quò clemens animus, iuſtitiaque tenax?
Migrarunt terris, & ſe ſuper aurea celſi
Præpetibus pennis templa tulere poli.
Quando erit vt ſimilem Saluiato proferat ætas,
Purpureæ, & Tibris velet honore togæ?
Ille velut Phænix noſtro ſe oſtenderat orbi,
Rara auis extremos viſa per Aſſyrios.
Scilicet inſolita ſic qui virtute clueret,
Ornatu vt vario prænitet illa ſuo.
Pectoris inuicti ſemper, mentiſq; ſagacis
Vlta feros hoſtes Gallia teſtis erit.
Cum Carolo Regi, Romana ab ſede profectus
Nuncius, externo ſedit in orbe diu.
Tempore quo Fidei pro cauſa Regia virtus,
Hæreticas larga ſtrage retudit opes.
Quot ſcelerum cecidere Duces, tunc? quotq; rebellum
Agmina nox vna ſtrauit, & vna dies?
Ipſe caput belli, ſpecula deiectus ab alta,
Sanguineo Gaſpar perculit ore ſolum.
His aderat præſens Saluiatus, & acta probabat;
Nuncius hoc meruit poſſe videre decus.
Temporis illa etiam fuit eius gloria, firma
Pace quod Heſperię Gallia iuncta fuit.
Turbare hanc quoties Rector conatus Auerni?
Conſilijs illi reſtitit iſte bonis.
Clauiger ò cæli, Petri qui Gregori ab arce

Pro meritis reddis prҿmia cuiq; ſuis.
En age quid ceſſas, roſeo hunc decorare galero?
Inter conſcriptos & numerare Patres?
Tempus adeſt, ſacrum quo mos augere Senatum:
Iam ſacra Saluiati purpura corpus obit.
Purpura quҿ reliquis tanto prælucet honore,
Phæbæum quantum ſidera cuncta iubar.
Fidere Pontifices huic vni maxima quæque,
Et comitem arcanis iungere conſilijs.
Magna fides, & magna viri prudentia ſemper
Cognita, ſeu belli tempore, ſiue togæ.
Aſpice Felſineam Rector cum tendit ad Vrbem,
Vt comites Pacem, Iuſtitiamq; trahit.
Aſpice vt hac gemina trepidos Virtute, tumultus
Temperat, & mandat legibus eſſe locum.
Aſpice vt exultant ciues, lætantur & agri,
Durat vt ex illo tempore parta quies.
At tu terrarum Princeps pulcherrima Roma
Munera Saluiatæ quҿ pietatis habes?
Ille ſacras Ædes cҿlum quҿ culmine tangunt,
Magnifico inſignes ſtruxit honore tibi.
Ille dedit Muſis, coleret quæ tecta Iuuentus,
Hunc Patrem agnoſcens Patribus orba ſuis.
Ille pias Sedes ſancto complexus amore,
Non ſiuit vitҿ triſtia damna pati.
Ille laborantem numquam ſine dote Puellam,
Aut inopem vacua ſiuit abire manu.
Vidimus ò miſeram lachrymas quas fundere plebem?
Quam gemitus alto mittere corde graues?
O Pater (aiebant,) cui nos ſic deſeris orbos?
Ad victum poſthac vnde petemus opem?

En

En iam pauperies in nos ruit improba, longè
A nobis, donis ire coacta tuis.
Quæ condunt auidi, ſpargebat ipſe benignus,
Vtque dares alijs tu tibi parcus eras.
Quid niſi nunc lachrymæ miſeris, ſuſpiria, luctus,
Infixus ſupereſt quid niſi corde dolor?
Sed quæ iam tenues Cælo vox lapſa per auras
Inſonat, & luctum ponere læta monet?
Emenſus miſeræ Saluiatus tempora vitæ,
Æternæ felix Regna quietis habet.
Illius immenſi finem videre laboress
Contulit in portum vela ſecunda ratis.
Indigetem non vltra æſtus, non frigora lædent,
Non rapida attinget mors truculenta manu.
Vita perennis erit, numen cæleſte tuenti,
Cuius ab aſpectu defluit omne bonum.
Ergo iam gemitus, & triſtia funera ceſſent,
Proq; graui luctu carmina feſta ſonent.
Roma tibi hæc celſo miſſus loquor Ales ab axe;
Illic Saluiatus me manet; Ipſa vale.

Epigrammata.

VBeribus lachrymis Saluiati flemus Alumni,
Funere deſtituit quos Pater ille ſuo.
Et placidos oculos & læta requirimus ora
Principis, & largam, Regificamq; manum
Heu noſtræ languent erepto Præſide Muſæ,
Iam procul à nobis triſtis Apollo fugit.
Pangere vellemus verſus, pro verſibus, eheu,
Solæ dimanant ex oculis lachrymæ.

Dent alij tumulo Saluiati munera, flores,
Lilia cum violis, purpureaſque roſas.
Non reor areſcent, lachrymis ego namque rigabo;
Et creſcent luctu florea dona meo.

Munus honorati Saluiato funeris edis,
Laurenti, tanti dulcis amor Patrui.
Non quia Erythreos lapides, aurumque reliquit,
Oppidaque atque agros, magnificoſq; lares.
Sed quòd tam raris fulgens virtutibus Heros,
Heredem voluit nominis eſſe ſui.
Legatis merito anteferas hoc omnibus vnum,
Saluiatę recolens ſtemmata clara domus.
Diuitias fortuna regit, donatque, rapitque;
Gloria Maiorum poſteritate viget.

Muſarum lugere choros pręcepit Apollo,
Et vates triſti carmen hiare ſono.
Ipſe etiam cytharam numeris aptauit acerbis,
Et poſuit fuſis laurea ſerta comis.
Occidit ille Parens, Męcenas occidit ille,
Qui fuerat noſtri ſpes Heliconis ait.
Iam ſacrę areſcant ſyluę, iam lympha recedat
Fontibus, & frangant plectra lyraſq; Deæ.
Quid cantu poſthac opus eſt? qui cantibus vnus
Dignus erat, nigra lumina condit humo.

Marmoreo tumulo Saluiati qui tegit oſſa,
Adſidet humidulis mæſta Puella genis.
Lumine ſtat fixo, preſſiſque ad pectora palmis,
Singultim gemitus tollit ad aſtra leues.

Hanc

Hanc ego dum rogito quę ſit, vix ora reſoluit;
Sum Pietas, Pietas denique triſtis ait.
Congemui, trepido miſeratus corde dolentem,
Et lachrymas oculi ſponte dedere mei.
Affectus numquam tales hæſere medullis,
Perfodit ſimilis nec mihi corda dolor.
Haud miror: merito dolor eſt acerrimus ille,
Ipſa ſui Pietas, quem pietate facit.

Saluiato extincto Pietas extincta receſſit
Dicitis, ò vates terq; quaterq; ſacri.
Interea ſaxum, magnus quo conditur Heros,
Conſpergi lachrymis poſcitis vſq; pijs.
Parcite ſi Pietas terris non amplius extat,
Eſſe pium quidquam qua ratione poteſt?
An tumulo ex ipſo Pietas fortaſſe reſurgit,
Ipſa ſuo Phœnix vt rediuiua rogo?
Non redit illa quidem: verum pietatis amorem,
Saluiati inſpirat mortuus ipſe cinis.

Muſarum, & ſacri cuſtos Heliconis Apollo
Arte potens Medica, Carminis arte potens.
Expertus primas Saluiato in Principe vires,
Non potuiſti orci faucibus eripere.
Nunc meliore via reuocare ad lumina vitæ
Niteris, & vatum pectora mille moues.
Hinc fama, & numquam perituris verſibus ille,
E tumulo ſurgens, tollit ad aſtra caput.

Hic iacet illuſtris factis ingentibus Heros,
Purpura cui ſacro cinxit honore caput.

Saluiati generis lux magna Antonius, ille
Iuſtitiæ cultor, relligionis amans.
Huius erit ſemper Romæ memorabile nomen,
Egregij ſtabunt dum monumenta viri.
Templa manent, ſedeſq; piæ, delubraque & aræ,
Pieridumque manent tecta dicata choro.
Oſſa tegit tumulus; famam non ambitus omnis
Æquoris, & terræ, non polus ipſe tegit.

Viator, & Alumnus Saluiatus colloquuntur.

Vi. *QVis tu qui lachrymis puerilia perlitus ora,*
Marmoreum ad tumulum fronte dolente ſedes?
Al. *Collegi ſedeo Saluiati triſtis Alumnus,*
Et comitum pariter, & mea damna fleo.
Vi. *Quæ fles damna Puer? Al: prærepti damna* Parentis:
Hic dolor, hic nobis cura perennis adeſt.
Vi. *Quem tibi? quem vobis mors abſtulit atra* Parentem?
Al. *Saluiatum,* Latiæ *qui decus Vrbis erat.*
Vi. *Qua ratione decus? Al. fulgebat ſtemmate auito,*
Virtutum nituit ſed mage luce ſua.
Vi. *Virtutes illi quænam? Al: quot litus arenas,*
Enumerem citius, quot tenet aſtra polus.
Vi. *Quæ tamen inſignis? Al.* Pietas *hominumque Deique;*
Huic *delubra, illis munera larga dedit.*
Vi. *Vir pius heu perijt? Al. perijt. Vi. lugere neceſſe eſt.*
Al. In *luctu pietas nos iubet eſſe pios.*
Vi. *Quo te quo ſocios deuinxit munere? Al. ſedem,*
Et ſtudijs noſtris otia grata dedit.
Vi. Hinc *iſtæ lachrymæ? Al. ſic eſt, nec Patris amati*
Idcirco poſſum vellier à tumulo.

In Mare dum Tuſcum flauenti gurgite Tibris,
Tuſcus & in Tiberim deuehet Arnus aquas.
Romula te tellus, Saluiate & Flora requiret,
Vrbibus ac geminis cauſa doloris eris.
Namque huic atque illi poteras decus addere, vitę
Tempora fluxiſſent ni breuiora tuę:
Vtraque nunc tanto ſeſe Vrbs iactabit Alumno.
Vna tuos Patres, altera te genuit.

Quo procul à terris greſſum Saluiate tuliſti?
Nimirum Superi te voluere ſibi.
Cælo dignus eras; minus hæc humana decebant
Te loca, diuina cum pietate fores.

Quæ templum meſto funeſtat pompa paratu,
Gloria Flaminiæ quod fuit ante viæ?
Conditor extinctus: tantum flet Roma Parentem,
Quo cum vnà ingentes ſpes periere ſibi.
Aſpice lugubri ſquallentem veſte Senatum,
Aſpice qui Populi clamor in aſtra ſonat.
O triſtem caſumque grauem; Saluiatus vt alter
Naſcatur, quando ſecula longa dabunt?

Eheu cui miſeri funus celebratis Alumni?
Eripuit nobis mors truculenta Patrem.
Ergo eritis poſthac orbi? nunc verius orbi,
Quàm qui nos genuit cum Pater interijt.

Saluiato inferias Patruo Laurentius amplis
Impenſis, pompa magnificaque facit.
Pulla ſacros circum veſtis tegit vndique muros,

Vir-

Virtutumq; aptis ſtant ſimulachra locis.
Deſinit extrema templi teſtudine celſa
Pyramis, innumeris fulgida luminibus.
Tum laudum tituli quacumque ex parte leguntur,
Et celebrant vatum carmina mille virum.
Nil tamen extincti maius contingere honori,
Quàm Populi potuit, tantus & Vrbis amor.

Principe Saluiato moriente, oſtenta doloris
Nulla dedit tellus, nulla deditque polus.
Non diri terror populis arſere Cometæ;
Non texit vultus Lunaue Solue ſuos.
Fulminibus non tactæ arces; non motibus Vrbes
Concuſſæ, aut varias flumina iere vias.
Qui factum? nunquid dignus non hic erat Heros,
Cuius naturę Mors lachrymanda foret?
Dignus erat; magno ſed forte exterrita luctu,
Fluminaque, & terras diriguiſſe reor.
At Cæli ſedes Saluiati intenta triumpho,
Oblita eſt mortis triſtia ſigna dare.

Non tibi nobilitas præclari ſanguinis ingens,
Defuit, aut almæ relligionis honor.
Non virtus Saluiate ſacro quæ Principe digna,
Gloria munificæ non generoſa manus.
Defuit heu vitæ pars optima, morſq; repente
Aduenieus, ventis publica vota dedit.
At celebrem te fama vehit, tenebriſque ſepulchri
Ereptum, lætis tollit ad aſtra ſonis.

Hoſpes

Hoſpes,& Romanus colloquuntur.

H. FLaminia intrantem facies quæ publica luctus
Occupat? & greſſum ſuſtinuiſſe iubet?
R. Egregij Patris celebratur in Æde Iacobi
Funus, ad hoc lachrymans Romula turba venit.
H. Quis Pater hic? Rom. claro Saluiatus ſanguine cretus,
Candida cui roſeus tempora cinxit honor.
H. Quo merito, tanto populi lugetur amore?
R. Virtutis, qualem ſecula rara vident.
H. Qua virtute cluit? Rom. Larga pietate refulſit
Præcipue. Hoſp. Ergo virum Mors tulit atra Pium?
R. Abſtulit. Hoſp. heu facinus. Rom. Pietas ni ferreus, Hoſpes
Collachrymare. Hoſp. Pium eſt? R. hoc pietatis opus.

Roma pium fertur quondam dixiſſe Metellum,
Sic Antoninos, & vocitaſſe ſuos.
Aeneamq; pium celebrauit Muſa Maronis,
Et pius hic dictus Cæſar, & ille fuit.
Ponite degeneres animi, qui conuenit vni
Saluiato titulus laudis, honorq; Patri.
Huic fuit in turbas inopum largiſſima dextra,
Nec minus in cultum diues, & ampla Dei.
Cernite quas magnis erexit ſumptibus Ædes,
Non vno illuſtres Martis in Vrbe locos;
Atque domos ſpectate pias, atq; hoſpita tecta,
Et ſedem, Phœbi quam colit alma cohors.
Hunc igitur, titulos ſi non iactamus inanes,
In tumuli ſcribat marmore Roma, PIVM.

Dum merita expendunt Saluiati magna ſorores,

Quæ celeri torquent tempora noſtra manu.
Aduenìſſe ratæ vitalem Principis *horam,*
Stamina prærupta diſſoluere colo.
Errorem aduertens Lacheſis, quid fecimus inquit?
In medio magni fila reciſa ſenis.
Pœnituit reliquas; & quæ non flere ſolebant,
Flerunt Saluiatum ſic periſſe Patrem.

Eximio Proceri, totum qui laudibus orbem
Sparſit ad Eoos*, ſparſit ad* Heſperios.
Tam tenuem forſan miraris ſurgere molem,
Illi funereus dum celebratur honos.
Nimirum ſeptis venerandæ clauditur Ædis,
Quam fecit tanti dextra benigna Patris.
At ſi vel ſummo moles ſe æquaret olympo,
Saluiati meritis & minor eſſet adhuc.

Vixti care Pater*, terreſtri & munere functus,*
Æthereæ ſedis regna beata tenes.
Aurea purpureis calcas iam ſidera plantis,
Et ſubter terras ac maria alta vides.
Quàm *merito humanas gazas contempſeris, illis*
Nunc opibus cernis diuitijſq; fruens:
Quas neq; ſuffodiunt fures, nec tinea mordet,
Nec vorat inſani ſæua procella freti.
Viue Pater *Cælo felix, Saluiate ſereno;*
Et *mete pro breuibus gaudia longa bonis.*

Ne nimis ò Princeps fato morereris acerbo,
Proh *dolor in* Medica *nil opis arte fuit.*
At tibi non morbo infectum, nec roboris expers,

Vſq;

Vſque adeo ſenio nec graue corpus erat.
Heu Artem infidam: quoties fallacibus herbis,
Pro vita celerem dat Medicina necem?

Hoſpes ades qui forte nouus mirabere, funus
Cui tanto Latius ducat honore Tibris.
Quòd ſi facta viri noris ingentia, dices
Aequari haud meritis talia iuſta ſuis.
Namq; per immenſum ſparſis quis laudibus orbem,
Anguſtum templi non videt eſſe locum?
Vt potuit, ſic Roma pij dans ſigna doloris,
Facta eſt in lachrymas ambitioſa ſuas.

Saluiati tumulus gremio complectitur oſſa:
Saluiati laudes non capit vrna breuis.
Saluiati in cineres corpus mors atra reſoluit:
Saluiati viuax fama perire nequit.
Saluiati, tenebris oculi, frons, ora teguntur:
Saluiati virtus lucida ſemper erit.
Saluiati pars eſt mortalis reddita terris;
Saluiati ęternus ſpiritus aſtra tenet.

Ecquid Saluiato vita tot carmina functo
Congerat Aonius Lector amice chorus.
Noſse cupis forſan paucis en accipe, dicam:
Expiat his culpam triſtis Apollo ſuam.
Nam Medica quoniam, cuius Pater, arte ſalutem
Non potuit morbo prædominante dare.
Nunc illi Dux Muſarum, cantuſque repertor
Conatur vitam reddere carminibus.

Se ſe Aquila vt cælo geminis fert nobilis alis,
Saluiatus duplici ſic Pietate volat.
Altera diuinos Superum meditatur honores;
Altera fert miſeris quos habet Orbis opem.
Clara igitur generis patrij inter raſtra, quis illum
Maternas Aquilas iure tuliſſe neget?

Et Populo, & Patribus Saluiati eſt funus acerbum;
Ille domi fuerat clarus, & ille foris.
Conſilio grauitas aderat, ſapientia dictis,
Integritas factis, poſt benefacta decus.
Quid mirum, tandem triſti ſi morte peremptus,
Gentibus innumeris collachrymandus obit?
Magna hominum virtus communem expreſſit amorem,
Communes lachrymas exprimit acer amor.

Saluiato inferię celebrantur vt aſpicis Hoſpes,
Proq; viri meritis pompa parata nitet.
Laurenti pietas, tanti qui Principis Heres,
Ingenti hoc illi munus amore dedit.
Attamen amotis quæ circum buſta coruſcant
Luminibus, pompę deficit omnis honor.
Gloria virtutum, nullis extincta tenebris
Scriptorum ęterna luce ſuperſtes erit:

Carmina tot vatum Saluiati in funere, totq;
Muſarum querulos Lectoramice modos.
Aſpiciens trepido miraris lumine forſan,
Et Mæcenatem credis obiſſe nouum.
Haud male coniectas; Hetruſcis Regibus ille;
Hetruſca hic genitus nobilitate fuit.

Ingenio

Ingenio ſimili tellus bis floruit vna,
Et coluit vatum nomen vterque ſacrum.
Quòd ſi equitem luxere olim, de Patribus vni
Iuſtius Aonides carmina mæſta ferunt.

Quis ſtipe non ficta lætum dimittet egentem?
Poſtquam Saluiatum Mors tulit atra Patrem?
Quis Medico auxilio miſeros ſolabitur ægros?
Quo caſtum inueniet Virgo iuuante torum?
Quis nudis auro impenſo curabit amictum?
Quis vinctos ſoluet carceris è tenebris?
Quis viduis victum præbebit? Patribus orbos
Quis complectetur, ceu nouus ipſe Pater?
Quis noua Cęlitibus ſtatuet de marmore templa?
Quis vetera ex imo tollet ad aſtra ſolo?
Quis iuſti, rectiq; tenax non deſeret ęquum?
Vox ſacro in Cætu libera cuius erit?
Quis populo annonam curabit diuite cornu?
Quis bene promeritis munere gratus erit?
Quem populi inuenient, Princeps quem Roma Patronum?
Hic opus, hic tumuli marmore ſurgat, erit.

Optanti gratum Saluiato dicere carmen
Quæ mihi ſoluit amor, comprimit ora dolor.
Imperat ille loqui, ſtupet hic abſterritus; ille
Ad laudes, hic eſt pronior ad lachrymas.
Quid facies anime ò tandem? quid reſtat? amanter
Ni miſer vt doleas, vtque dolenter ames?

Nobilis illa manus, numquam quæ muneris expers
Poſcenti placidam ferre negauit opem.

Nunc terræ ſubiecta iacet, Populiq; cietur
Vocibus, & Saxo ſurgere preſſa nequit.
Illa quidem tumulo (ſic fas eſt credere) vellet
Ex ipſo, miſeris gentibus eſſe pia.
Sed iam facta cinis, ſquallenti in puluere ſordet,
Proh dolor: heu tantum Mors *licuiſſe tibi?*

LVgete Ciues ſtirps bona Romuli;
Lugete gentes non minus exteræ,
Quacumque vos de parte Mundi
Ad Tiberis requieſtis amnem.
Pulſate turbæ pectora Pauperum,
Mærete & ægro corpore languidi,
Caſtæque complorent Puellæ,
Et Pueri lachrymentur orbi.
Saluiatus Heros *occidit, occidit,*
Et iam ſepulchri ſub tenebris iacet;
Nunquid *reſurget? dura mortis*
Iura *vetant adamante fixa.*
Conſcendit arces Spiritus igneas
Leui volatu, liber & integer;
Hac nunquid apparebit vltro,
Conſpicuus, regione terræ?
Spe nos inani ne miſerabiles
La*ctemus; Iuit proh dolor, iuit, &*
Sero reuerſurus, remotas
Per Superum ſpatiatur oras.
Iactura ſęuum non reparabilis
Vrget dolorem; dura neceſſitas
Solamen aufert; atque cæca
Obtenebrat ratione mentem.

Tu

Tu ſolus alto nos potes æthere,
Leuare curis triſtibus ò Pater;
Abſtergere & dextra beata,
Ex oculis lachrymas cadentes.
Antiquus in nos duret amor precor,
Flagranſque puro pectore Caritas;
Dum viueres Saluiate, ſemper
Largus opum fueras tuarum.
Solatiorum nunc quoque Ciuibus
Partem tuorum diuide largior;
Et ſparge de Cælo dolentes,
Nectaris, ambroſiæquè rore.

Ode Sapphica.

SEdis ò, ſacræ decus ò Senatus
Grande Romani columen, ferox te,
Donec in terris pie Saluiate.
Parca reliquit.
Nunc at æterni noua lux Olympi,
Extulit poſtquam celeri volatu,
Te ſuper ſolis radiantis orbem,
Aurea virtus.
Munus extremæ pietatis ingens,
Cerne quas mæſti tibi Roma pompas
Funeris ducit, lachrymiſq; quantis
Plorat ademptum.
Dulce fortunæ miſeræ leuamen,
Pauperes quærunt; thalami pudicæ,
Virgines dotem, Pueriq; victum
Patribus orbi:

Languet infelix ope deſtitutus
Aeger, exercet famuloſq; Chriſti
Sæua Paupertas, leuiore penna.
Aſtra petentes.
Templa diuino veneranda cultu,
Quæ tuo ſumptu ſpecioſa ſurgunt,
Heu modo atratis adoperta lugent
Vndiq; pannis.
Cuncta Plebs mæret, lacrymiſq; manat:
Nobilis, diues, iuuenis, ſenexque,
Virq;, & imbellis mulier profuſis.
Mæſta capillis.
Nec ſacro Cætus decoratus oſtro,
Temperat luctu; Pater ipſe CLEMENS,
Clauiger cæli, rigat æſtuoſis.
Fletibus ora.
Tu ſed Antoni ſuperis ab oris,
Flectere in terras oculos memento,
Et tua ſolare benignus omnes
Morte dolentes.

Carmen Hendecaſyllabum.

PLoret maxima Roma Saluiatum.
Extinctum nece, proh nefas, acerba,
Quo ſpes illius abſtulere venti?
Per quem ſecula prænitentis auri
Spondebat ſibi, ferrea abſtulit Mors,
Non cinctum triplici caput corona,
Non Petri ſolio ſedere vidit,
Et leges dare gentibus ſubactis,

Quas

Quas illo digito ſuo exararat,
Et Virgo tulerat redux ab aſtris.
Heu crudelia fata, quo tuliſtis,
Robur pectoris, ingeniq; lumen,
Quo nam Iuſtitiæ, decuſq; recti?
Vbi illa heu Pietas Fides, Amor, Spes?
An crudelia fata condidiſtis,
Tot ſub marmore nobiles ſorores,
Quo tectus iacet ipſe Saluiatus?
Haud fas credere; nempe marmore iſto,
Nec tectus iacet ipſe Saluiatus;
Nudum marmore conditur cadauer,
Cælo ſpiritus euolauit alto,
Et ſummi fruitur Tonantis ore,
Mortis iam domitor, truciſq; fati.
Ergo viuit adhuc beatus Heros?
Viuit, ſecula ſempiterna viuet,
Cantet, maxima Roma Saluiatus.

PETRI MARIONII.

SALVIATVS iaceo hic Patriam, ſi quæris, Alumnus,
Flora tuus, Ciuis Romula terra tuus.
Altera purpureos humeris induxit amictus,
Altera me terris, & tibi Roma dedit.
Spondebant hominum triplicem mihi vota tiaram;
Mors vetuit, Mortis fas mihi iuſſa ſequi.
Inuidit mihi mors perituros Orbis honores,
Gaudia ſed Superum non peritura dedit,
Tempora nunc alio diademate noſtra refulgent,
Hoc mihi Spes tribuit, iunctaq; amore Fides.

Ipſa

Ipſa etiam capiti gaudens Aſtræa coronam,
Dempſit, & hoc noſtras cinxit honore comas.
Quid mrndi nunc regna mihi? telluris honores,
Haud æquant Superium gaudia; Roma vale.

IOANNIS HAMELARII BATAVI.

QVOD SPARSI, in tuto eſt, labor hoc depulſus egentum,
Præuius AEthereos detulit in thalamos.
Quod mihi ſeruaui, funduſue domuſue reliquit,
Et nudum anguſto deſtituit tumulo,
Spargere diſce, Hoſpes, quod condere diſcupis aurum,
Sollicita haud dextra condere quod pereat.
Hic modus vnus opes potis eſt firmare fluentes,
AEterna & ſortem conſtabilire fide.
Hic modus illuſtri diffundit nomine famam,
Hic renouat vitæ præmia poſt cineres.

DOMINICI TEMPESTÆ ELEGIA.

HEroum Saluiate decus quis morte peremptum
Te fleat, & querulis vrgeat oſſa modis?
Triſte miniſteriam lachrymæ, procul eſte dolores:
Viuit inextincto Principe ſerus honor.
Tot reddunt monumenta vagum, expertemq; ſepulchri,
Et condi obſcura non patiuntur humo.
Quæ ſacra marmorei ſurgunt laquearia templi,
Flaminia cernis conſpicienda via.
Regis opus, mirare, licet: tamen ardua moles,
Sat minor eſt animo: grandior auſus erat.
Præbuit antiquis olim ſpectacula ludis

Romulus

Romulus Odryſio perſoluenda Patri.
Aurigaſq; dedit volucres, & Equiria Campo,
Et ſexcentenis currere iuſſit equis.
Nunc opus eſt alios agitare ad Equiria currus,
Nunc vetus eſt alijs meta terenda rotis.
Viſite Virgineas nunc munere Principis Aedes,
Figite ſacratis oſcula liminibus.
Hic videas operoſa tholo fulgente nouari
Templa, & odoratis thura calere focis.
Saluiatæ hoc pietatis opus, longæua vetuſtas
Eruitur, veteri ſurgit & ore nitor.
Nec procul hinc iuuenes, quorum haud virtutibus æqua
Paupertas, tenui ſub lare triſtis erat.
Paupertas aduerſa bonis conatibus, & quæ,
Semper anhælanti reſtitit ingenio.
Regificis eiecta opibus fugit; hinc bona pubes
Tollitur, & ſtudijs ocia grata terit.
Pergite felices iuuenes; ſtudijſq; fouete:
Pectora, Palladij carpite honoris iter.
Pergite nobilium ſtudiorum laude iuuentam
Ducere, quam tenebris nulla ſenecta premet.
Sed quid ego tenui memorem male ſanus auena
Singula, Mæonijs æquiparanda tubis?
Hinc aliquis mira perculſus imagine rerum
Hæreat, & tacitis impleat ora modis.
Viue diu, tete gelidæ vita inſcia mortis
Suſcitat, & quouis tempore maior alit.
Vixiſti ſatis ad metam vireſq; ſenectæs
Ad decus, & laudem non potes vſq; mori.

TADDÆI DONNOLAE
Hiſpellatis ad Familiares.

OCcidit, heu triſtes Socij, pulcherrima nobis
Spes illa; atq; ſimul concidit omne bonum.
Saluiatus noſter virtutum Gloria, ſummo,
Iam Petri merito proximus Imperio.
Haud moriturus obit, luſit mors inuida noſtras
Incaſſum curas, & gemitum, & lachrymas.
Eheu Fallaces ſors, & fortuna bonorum:
Qui ſapit Aulicus, hinc iam ſibi proſpiciat.

Eiuſdem in Aſtrologos.

HEu vbi fatidici inſulſi, Aſtrologiq; bilingues,
Sunt de Saluiato maxima dicta meo?
Iam cuncta Icarias ceciderunt irrita in vndas,
Atq; omnem veſtram Mors tulit vna fidem.
Cedite nunc aſtris tandem: Cæloq; futura
Noſſe, hominis non eſt, ſolius ipſa Dei.

F. IO. BAPTISTAE VGONII
ex ordine Her. S. Aug. Ode.

QVAM VITAE miſerum fidere, lubrica
Quæ tranſit rapidi temporis impetu?
Et cum tranſierit non redit amplius,
Atra nocte recondita?
O curas hominum, cæcaq; pectora,
Hic ſedem ſtabilem qui ſibi deputant,
Quos vel diuitijs, quos vel honoribus
Angit ſæua cupiditas.

Dum mentem ſtudijs turpibus occupant,
Improuiſa caput Mors ſuper irruit;
Et ſoluens animum corpore terreo,
Cogit cuncta relinquere.
Felices, Pietas ò ter & amplius,
Quos dignos ſuperis ſedibus efficit,
Terrenis opibus qui ſibi prouidè,
Cœli gaudia comparant.
Saluiatum tyrio murice fulgidum,
Qualem Roma modo, nobilis vnicum
Virtutis ſpecimen, grandeq; viderat
Gentis præſidium ſuæ.
Hic quamuis opibus largiter affluens,
Cor non appoſuit: ſed ſibi ſarcinam
Ducens eſſe grauem, pauperibus manu
Plena ſpargere geſtijt.
Hinc iam diuitijs æthereis frui
Illum mente pia credimus, & Dei
Vicinum ſolio, fænore maximo
Elargita reponere.
Ne promiſſa Dei quis putet irrita,
Vnum qui dederit ſumere centuplum,
Theſauriſq; latro quos rapit improbus,
Dona ęterna rependier.

HORATII MILANI.

PRæclaram Populo de te Saluiate Quiritum
Spem dederas, animi nobilitate tui:
Principe te Latium felix quandoq; futurum;
Nec dubium, vitam ſi modo fata darent.

At ſæuæ in medio ruperunt fila ſorores ,
Et ſperata tulit gaudia, ſumma dies .
Siqua mòdo miſerę detę ſolatia Romæ
Reſtarent, luctus mitior ipſe foret;
At tua quæ ſe oculis tota dant obuia paſſim
Vrbe, illi maior ſunt monumenta dolor.

PETRI MATHEI SCOSSAE.

HEu mortem inuiſam, te quæ Saluiate ſenecta
Tam viridi, Latijs collibus eripuit.
Viuere adhuc poteras multos longæuus in annos ,
In Medica ſi quid arte fuiſſet opis.
Succubuit Medicina malis; tamen illa apud omnes,
Vtcumq; eſt , magna non caret inuidia.

ALFONSI FERRI.

QVam meritò egregij miraris Roma ſepulchrum
Principis, & lacbrymis deſuper oſſa rigas.
Hic gentis tutela tuę dum vita manebat,
Hic erat Imperij ſpes quoq; magna tui.
Dignus erat triplici frontem redimire tiara ,
Et Vaticano reddere iura lare .
Infelix at tu non illo digna fuiſti,
Hinc celeri nimium funere raptus obit.
Ille quidem raptus, ſed celſa ad ſidera , Mortis
Victor, vbi ęterno viuit ab ore Dei.

DOMINICI ANCAIANI. Ode.

EN AVIGATIS fluctibus aſperis,
Vitæ fugacis, per liquidum æthera.

Inſignis Heros Saluiatus,
Vela dedit, ſubijtq; portum.
Illic laboris præteriti memor,
Sæuum nec vltra naufragium timens,
Subduxit in tutum procellis
Nauigium, expoſuitq; merces:
Merces, beatorum agmina Cælitum
In quas retorquent lumina ſæpius,
Non ante longinquis aboris,
Luce pari ſuper aſtra vectas.
Virtute multa ceu bonus inſtitor
Congeſſit ille, ærugine ſordida,
Auroq; permutare ſolers,
Diuitias pretioſiores.
Terram erogauit munifica manu,
Cœlum recepit, Rege perennibus
Caduca compenſante, ſunt tui,
Vni hominum benefacta curæ.
O ter beatum dicite & amplius,
Heroa Muſæ, cuius in æthere,
Non ore vatum, ſed potentis
Mente Dei radiauit Argo.

BERNARDI FRVMENTI, Ode.

M*VSA QVID Triſti lachrymare fronte,*
Nec lyram plectro moderaris aureo,
Fronde pro lauri viridante, crines
Cincta cupreſſo?
Patris heu luctum tibi Saluiati
Mors tulit, forti viridem ſenecta,

Nulla

Nulla quem vita retinere quiuit
Cura medentum:
Ille Mæcenas *nouus, & benignus*
Occidit fautor docili iuuentæ,
Quæ tuas pridem ſtudijs colebat
Acribus artes.
Ingeni feruor modo languet omnis,
Et ſtupent linguæ, neq; carmen ulli
Dulce, nec Graij fluit, aut Latini,
Copia fontis.
Nos tamen quales modocumq; fas eſt,
Fundimus fletus, tumulumq; tecum
Spargimus triſtes, nimioq; fracti
Corda dolore.

THOMAE BERTI.

VLTERIVS Lugere nefas ſit funere ademptum;
Saluiatus Cæli lucida templa tenet.
Virtutum meritis conſcendit ad illa ſuarum,
Plurima quę ſemper fama loquetur anus,
Roma operum teſtis, luſtrataq; Gallia teſtis,
Imperij teſtis quęlibet ora ſacri.
Vnica tot Pietas *oculis monumenta per Vrbem*
Subijcit, immenſo rite ſacrata Deo.
Publica vox populi commendat munera dextrę,
Qua non ex ęuo largior vlla fuit.
Impietas tam flere pium, qui morte beatam,
Tranſijt ad vitam, ſidereaſq; domos.

MICHAELIS VBALDINI.

QVid terras ſine te cæca caligine merſas
Saluiate, heu triſti deſeris interitu?
An ſibi te Cęlum poſcit? ſic arbitror; illa
Aſpectu eſt Sedes digna nitere tuo.

PAVLI TVNNI.

SAnguine fors alios, alios opibuſq; potentes,
Purpureo poterit Roma referre choro.
Aut quibus ingenium, quibus aut ſit longior vſus,
Cinctaue qui forti robore corda gerant.
At quem Saluiato pietatis laudibus æquet,
Nulla feret tellus, nulla feretq; dies.
Hæc propria Herois *virtus eſt illius, hac ſe*
Ad Superos celeri ſuſtulit ille via.

HIERONYMI CALICIS.

QVEM niueo cernis tumulum de marmore, in illo,
Ne tu hominis tantum dixers oſſa tegi.
Eximia hic Pietas, hic Relligioq; Viator,
Hic & ſancta Fides, Menſq; benigna iacet.
Virtutum fuerat Saluiati in pectore ſedes,
Proh *dolor; has ſecum condidit ille Pater.*

FELICIS MARIONII
Hendecaſyllabum.

HOc ſub marmore Saluiatus ille,
Lumen *purpurei iacet Senatus,*
Tota qui periit gemente Roma,
Acer conſilij vigore Princeps,
Cuſtos Iuſtitiæ, *tenaxq; recti,*
Miti pectore rebus in ſecundis,

Aduerſis

Aduerſis animoſus atq; fortis,
Morum ſimplicitate diligendus,
Dilectus mage liberalitate,
Cuius participes fuere, quotquot
Opem Principis optimi rogarunt;
Heros magnanimus, Deiq; cultor,
Cui præſtantia templa dedicauit,
Quæ ſtant marmore candido ſuperba;
Fautor Pieridum bonus ſororum,
Qui collegia condidit iuuentę,
Vbi ſe excoleret bonas per artes;
Nunc quis non lachrymetur, & calente,
Non deſiderio Patrem requirat?
Quem vidit ſimilem, videre quando
Quem ſperat ſimilem Latina tellus?

IOANNIS BENAMATI

Hendecaſyllabum.

QVisquis Flaminia ambulas Viator,
Et templi ingrederis fores ſuperbi,
Magni quod pietate Saluiati,
Surgit Cælicolæ ſacrum Iacobo;
Admirabere funeris paratus,
Triſtes forſitan, horridamq; pompam,
Et cantus querulos, piasq; plebis
Romanæ lachrymas, pias Senatus.
Quod ſi cui celebrentur hæc requires,
Te clamor populi docebit omnis,
Templi ipſum perijſſe Conditorem.
At ſi quo merito rogabis, idem
Fletur tantopere, recede quæſo,
Noli quærere, ni iuuat dolere.

FINIS.

